







De Weibe
Aulic. Politic
II
6
167










XXX ~~XXXII~~

W/E1H

Dup. 3257



AVLICVS POLITICVS

DIVERSIS REGVLIS VEL, VT IAVOLENVS LOQVITVR, DEFI-

nitionibus ſelectis, proborum voto probè inſtructus, ante multos annos ſub nomine DVRO de PASCVLO ablegatus, variis acceptus, & à bonis exceptus.

NVNC MVLTIS THESIBVS AVCTIOR ET EMENDATIOR, AC repexus typis divolgatus,

Cura EBERARTI de WEIHE.

Cui nunc acceßit

DISCVRSVS DE SPECVLI ORIGINE, VSV ET ABVSV.





Cum Gratia & Priuilegio S. Cæſ. Maieſt.

Francofurti, Apud PETRVM KOPFFIVM.

ANNO M. DC. XV.



Protestatio.

QVANDO sine nomine contra vitia ſcribitur, qui iraſcitur, inquit S. Hieronymus, accuſator ſui eſt: Et alibi: Neminem ſpecialiter ſermo meus pulſauit: Generalis de vitiis diſputatio eſt: Qui mihi iraſci voluerit, ipſe de ſe qui talis ſit confitebitur. Epiſt. 2. ad Nepo. fol. 6. Tom. 2.

Nullius Principis aulam, ſed in ea improbas perſonas notat, & vituperat: nec caput tangit, ſed membra corrupta Auctor.

Τοὺς ἀγαθοὺς ἄλλος μάλα μέμφεται, ἄλλος ἐπαινεῖ.
Τῶν δὲ κακῶν μνήμη γίγνεται οὐδεμία.

Namq; probos alius carpit, malè laudat at alter.
Prauorum porro mentio nulla hominum.

S. Hieronymus Epiſtol. 4. ad
Ruſticum fol. 15.

SCio me offenſurum eſſe quamplurimos qui generalem de vitijs diſputationem in ſuam referunt contumeliam: Et dum mihi iraſcuntur, ſuam indicant conſcientiam: multoq; peius de ſe quam de me iudicant. Ego enim neminem nominabo, nec veteris Comœdiæ licentia, certas perſonas eligam, atque perſtringam.

Conuicia ſi iraſcere, agnita
videntur: Spreta exoleſcent.
Licuit, ſemperq; licebit
Parcere perſonis, dicere de vitiis.

**Ach fromb Hoffman
Nimb dichs nicht an.**

Hunc seruare modum nostri ~~nouere~~ amere libelli
parcere p[er]sonis dicere d[e] vitijs



ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS ET DOMINIS,

Dominis Friderico, Christiano, Adolpho Johanni fratribus, Heredibus Norvvegiæ, Ducibus Slesvigæ, & Holsatiæ, Stormariæ, & Dithmarsiæ, Comitibus in Oldenburgk & Delmenhorst, &c. Dominis meis clementißimis.

ILLVSTRISSIMI Principes, ac Domini, Domini Clementissimi. Quotiescunq; mens mea præteriti temporis spatium, inter tot vicissitudines personarum, rerum, aularum, consiliorum, respicit, & præsertim recordatur memoriam illius diei, quo primum iuuenis in paternam V.V.V.C.C.C. ditionem veni, equidem demissè gratiæ benevolentiæ, non ad lancem, pondus, & dimensum, sed copiosè mihi exhibitæ, memor, agnosco, & profiteor, vel iam publicè me Illustrissimæ domui Holsatiæ, officiis omnibus non perfunctoriè,

& dicis causa, sed vere & re ipsa deuinctum teneri, & obstrictum.

Etenim annus nunc agitur vigesimus octauus, cum laudatissimus, & fortissimus Princeps ac Imperator circuli inferioris Saxoniæ Adolphus Hæres Norwegiæ, Slesvigæ, & Holsatiæ, C.C.C. V.V.V. Avus excellentis recordationis, me juuenem ferè, Antecessorem tamen Academiæ celeberrimæ Wittebergensis, successorem Nobilissimi Ioachimi à Beust & consiliarium Electoralis Iudicij Appellationum Dresdæ, statis temporibus habiti, & culti in aulam suam clementissimè Serenissimo Electore Augusto permittente, & consentiente vocaret, locumq; inter Nobilissimos, & præstantissimos Consiliarios concederet: in quo munere obeundo (non dicam quam præclarè, attamen absit iactantia verbis, summa fide) permansi vsque ad beatam ex hac vita migrationem Ducis Adolphi, cui & vltimum pietatis officium in claudendis oculis morte deficientibus manus meæ præstiterunt. Itaq; in hac momētanea functione non quidem multa & magna gerere licuit, ea tamen expediui, quæ Principi, & Reipublicæ accommodata, & vtilia essent: Nam orator ad Clerum Lubecensem missus comitibus Nob. Theodorico Blumen & Iohanne Ludouico ab

Harſtal, Laurentio Schradero, & Hermanno à Beke, eò tandem rem Dei benignitate intra ſpatium nouem ſeptimanarum, quo iſto in loco commorandum fuit, vnà cum illis deduxi, vt magni nominis, & faſtigij cōpetitoribus multis concurrentibus C.C.C. V.V.V. Parens communibus, & concordibus ſuffragiis electus ſit.

His peractis ſecutus Auum C.C.C. V.V.V. in Archiepiſcopatum Bremenſem, quæ reſtabant negotia expedienda ſuſcepimus. Hoc amplius ſplendidiſſima inſtituta tractatione Suerini, inter Duces Megapolenſes, Iohannem, & Sigiſmundum Auguſtum fratres conſiliis adhibitus fui, præſentibus Regis Daniæ, & Ducis Vldarici conſiliariis. Negotio illo bonis conditionibus cōpoſito, & Duce Adolpho pia morte iam defuncto, cum Illuſtriſſimo Principe Friderico ſucceſſore natu maiore filio, doctrina exultiſſimo, ad Regem Danię Fridericum profectus ſum: aderat & huic propoſito fœlix ſucceſſus. Deniq; bis legatus adij Vldaricum Ducē Megapolenſem propter ineundam conficiendamq; rationem rei pecuniariæ, verſæ in nomina Ducis Iohannis, cui deſponſata erat filia Adolphi. Etſi auſpicatum iter, & ſuſceptum mādatum ex voto tranſigerem, tamen per Lacum Suerinenſem, glacie ſubductum, Guſtrouium

tendens cum admiratione multorum, magno & difficili labore periculum euaſi, & diuino numine aſpirante, currus aliquot pecunia onuſtos mecum adduxi.

Quanquam tamen Dux Fridericus, cuius maximi ingenii vires, fortuna magna non onerauit, qui diu non fuit ſuperſtes, clementiſſimè voluerit, oblato ſtipendio ampliſſimo, & illuſtriſſima Domina Chriſtina, Potentiſſimi iſtius Philippi Haſſiæ filia, Adolphi vidua, monuerit clementiſſimè, conſiliarii Nobiliſſimi rogarint, ſubditi optarint, vt in ſuſcepta officij adminiſtratione permanerem: Tamen ad annum tantum dimiſſum Elector Saxoniæ Chriſtianus Potentiſſimus clemētiſſime reuocauit, cui obtemperandum fuit, & Sereniſſimus Elector me in grauiſſimis negotiis legato ſœpius vſus fuit: Abſens omni conatu operam dedi, vt meam fidem Principibus Holſatiæ, & inprimis Parenti Veſtro recomprobarem: Quamobrem loco, & iuſſu Principis Mauritii Haſſiæ pacificationi Painenſi, cum Electoris Moguntinenſis, & Adminiſtratoris Saxoniæ legatis, & ſubdelegatis adhibitus Erphurdiæ nihil remiſi laboris, ſtudii, & diligētiæ, vt cauſa, ſenectute quaſi laborās, cum Electore Colonienſi Erneſto Epiſcopo Hildesheimenſi funditus cōponeretur.

Vnum

Vnum hoc deploro, quod ab Illustriss. vestro Parente reuocatus ad summum officium consilij, non potuerim ei satisfacere: Singularis sane est felicitas, & laus non exigua abeuntem reuocare: Reuocarat me ante Saxo Serenissimus dimissum. Vnum est de quo non immerito gloriari possum, me nunquam ex aulis dimissum: Sed dimissionem petētem & quidem ex causa obtinuisse. Repugnabat quippe diuina prouidentia annitenti: nec Princeps Landgrauius Hassiæ consentire, multoties rogatus voluit: qui mea opera in varijs legationibus, ad Cæsarem, inprimis ad inuestituram Principatus solenniter petendam, & accipiendam, omnium Principum Hassiæ nomine 1593. 1597. ad Electores ad Comitia duo, ad conuentus deputatorum Pricipum, & circulares, vt vocant, ad varios Principes, ac Comites vsus erat, non minus ac Elector Saxoniæ. Celss. Illustriss. consensu, ac permissione imo iussu aulam Illustrissimi Comitis Holsatiæ, Schaub. ingressus, in qua per multos annos amplissimo, & Regio stipendio vixi, & insignes peregrinationes confeci. Abundè itaque apparet, quam multis nominibus vestræ Domui Serenissimæ sim astrictus: Nomen tamen contractum expedire nō

potui, & magis immergor vndis nominum, cum ante paucos menſes mihi auream catenam Illuſtriſs. Parens veſter clementiſſime, & liberaliter tranſmiſerit.

Erubeſco: nam quorum mens honeſta, eorum imbecilla frons eſt. Vt tamen appareant mentis meæ grata indicia, & argumenta: & ne ſim famæ meæ incurioſus, cuius fœdam buccinam boni viri non libenter audiunt: Aulicum V.V.V.C.C.C. offerre volui, non ſplendidum, non gemmis orationis exornatum, ſed nudum, & apertum, vt eò melius inſpicere cor, & omnia membra queatis: Vt enim ex ſceleto propoſito iuncturam membrorum aptè, & concinnè diiudicare licet: ita nudis præceptis abſque fuco orationis prolixæ inſpectis, verum aulicum à falſo, quod alioquin difficile eſt, diſcernere poſſumus: Verboſitate enim Principes nolunt grauari. Grauiter Tacitus de Galba Imperatoria breuitate à ſe Piſonem adoptari pronunciat: *per la ſua verita è breuiloquenza era in gran credito è reputatione preſſo tutti.*

Ad hæc præcepta poſſunt tanquam ad Lydium lapidem examinare aulicos, quos inter familiares ſuſcipiunt, & ita probabunt illud:

Prin.

Principis est virtus maxima, nosse suos,
Si enim habuerit ministrum,
Qui vafro astutã celans sub pectore vulpẽ
Concinnatq; dolos & veris falsa remiscet.
Illi stabile stabulum in aula ne concedat, licet in plerisque aulis sint gratissimi.

Insuper cum ante aliquot annos Aulicum prædictum conscripserim, sæpius & diuersis in locis Hanouiæ, Witebergæ, Hallæ, Argentorati, Francofurti, Veronæ in lucem editum, & iam repexum sub incudem reuocauerim: multis gratum, multis ingratum, & ijs præsertim, quorum pectora atrox cura plus habendi vrit, tum calumniandi malitia: quærendos putaui, quorum sub salua guardia, & protectione libellus hic & gratior, & tutior in manus Aulicorum perueniret: simulque, vt dixi, hanc arripere occasionem volui, mei contestandi erga C. C. C. V. V. V. animi. quod meum institutum, vt in bonam clementer partem accipiatis, quamuis quæ vestra est clementia insita, innata, ac hereditaria non aliter V. V. V. C. C. C. facturas spero: tamen ne quantopere & obnixe id submisse efflagitem, & petam ignoretis, vehementer, & quanto possum obedientia peto.

Pluribus non exigo, cũ plus habeat ponderis tecta veneratio, quam verborũ blanditiæ: Vestris C. C. C. me meosq; subiectissime cõmendo. Mihi. n. viuo, quicquid Deus vel in aula, vel extra aulam suppeditarit, abundè est: carne negotijs, & senio consumpta liberatus, & Deo volente pio animo & magno in puriorem vitam translatus, Deum laudabo. Deus optimus maximus Parẽtẽ V. V. V. C. C. C. Illustriss. Potẽtiss. omni virtute genere moribus, & oratione celeberrimum, & V. V. V. C. C. C. singulari sua beneuolentia complectatur, & virtutum dotes in V. V. V. C. C. C. excitatas, quas in V. V. V. C. C. C. familia laudant omnes boni, conseruet & per eas peragatis & auitis antecessoribus quorum sanguine prognati estis, similimi euadatis. Quod V. V. V. C. C. C. ex animo precor, tum rectam fidem erga Deum, patentem religionem, prudentiam liberam, verecundiam liberalem, humanitatem & amorem erga subitos, & omnia præsidia senectutis, & gubernationis: Denique vt sancti animi gliscat affectio in omnes bonos, & sic in meos. Datæ Pinnenbergæ 1615. 4. Junij ipso die S. Trinitatis.

V. V. V. C. C. C.

Subiectissimus & addictissimus

Eberart von *Weihe*

S. P. L. M. L. H.

S. P. M. L. H. IN AVLICVM

E. V. W.

O Duro chi non è duro
Constante piu ch' un muro
O vero chi non è fero:
Prudente non seuero
Dolci sono gli tui atti
Souaui gli tui fatti
Opere benigne & rate
E al tuo Principe grate.

ALIVD

IN AVLICVM NOBILISS. D. EBERARTI A WEIHE AMICI, ET COLLEGÆ COLENDI S. LVTT. ab Amelunxen.

IAm satis duri: satis ob Chimæram,
Improbi Momi proprium abdicasse
Nomen, & durum minimè ob laborem
Nosse βραβεῖον.
Ergo quid cessas liber? exi in auras
Gloriam authori tribuens: Lubenter
Vera dicendo, cape dura Dure
præmia VERI.
Tuq́; qui quondam cupis aula honorem
Tuq́; qui pridem nitida fuisti

(Absq; vix damno) pugil in palæstra
Sobrius adsis.

Aula damnatur minimè hic: quid ergo?
Aula laudatur? minimè ast abusus
Vsus & verus toties petitus
Hicce patescit

Author ast vnde hauserit hæc, & anne
More multorum legerit libellis
Forte nunc quæris? proprio hæc ab vsu.
pleraq; promit.

Lustra plus septem fuit is secutus
Castra Magnatum, mala multa passus
Multa non nunquam bona consecutus
sic agit aula.

Aula non solum, sed & ipsa VITA
Mox parens, mox mox iterum nouerca est
Ergo quod vitæ proprium, quid vni
Adseris aulæ.

Sis pius, iustus, patiens & acer.
Et Deo soli, tua teque crede
Aula, sic raro potis est obesse
sed mage prodest.

Monstrat hoc author lepido ho clibello
Quem BONIS solum Bonus ipse scripsit
Nil malos curans: fruere hoc valeq;
Optume Lector.

IN NOBILISSIMI ET MAGNIFICI DOMINI EBERHARTI DE WEIHE AVLICVM ET MALAS AVLAS.

Carmen Græcum Æmilij Porti: I.P. Cretensis filij, Græcè, Latinè, Italicè Gallicè ad inuidiam erudiss. ex tempore 24. Feb. hora 9. matut. 1614. scriptum anno ætatis 641.

Ὅστις ἐν αἰσχίσταις ναίειν αὐλαῖ Νερώνων,
Στέργει, τὴν ψυχὴν τὴν ἰδίαν στυγέει.
Καὶ γὰρ Τισιφόνης, ἰδ᾽ Ἀλεκτοῦς, ἠδὲ μεγαίρης
Τὸ σθένος ἔνθα μένει: πᾶν τε κακῶν ἰδέη.

INTERPRETATIO AD VERBVM LATINA.

Quisquis in turpissimis habitare aulis Neronum,
Amat animam suam odit.
Etenim Tisiphones, & Alectus & Megaræ,
Robur hic manet, omneque malorum genus.

Ἄφρον ποῖ φέρεαι, κακοδαίμων τίς σε διώκει
Τίπτε καὶ ζῶν χθονίης ξῶν ἐρᾷς ὀδύνης.
Φεῦγε τάχ᾽ ἀπηχθέων ἐμπρησμὰ τῶν συγερῶν,
Φεῦγε δόλους, ἀπάτας ἠδ᾽ ἀγαθῶν φενάκας.

Amens quo raperis? malus genius quis te persequitur?
Cur infernum viuens amas cruciatum?
Fuge celeriter aularum incendia odiosarum
Fuge dolos, fraudes, & bonorum fucos.

ALIVD IN DVRVM DE PASCOLO.

FAcunde Duro, nec nimium durus tamen,
Sed melle à oris affluens acrimonia,
Tantumne tibi à tuis laboribus otii est:
Quos curiæ, quos principum negotiis,
Noctu diuq; impendis? vt insuper queas
Ex omnibus prudentum abstine scriniis
Vsuq; rerum, & tot dierum euentibus
Effodere viuos imperandi surculos?
Tanti est sapere quenquam: nec vsq; formulas
Pietas vibrantibus struere sententiis,
Nec vsq; obambulare transuerso foro,
Et ære clientes sauciare credulos.
Nec vsq; globulos syllabarum melleos
Captare & immori, sed acrioribus
Pectus rigare porro mercimoniis,
Et ponere veros imperandi terminos:
Mundiq; fixam fluctantis anchoram
Quæ principium rei, atq; cedat gloriæ
O si obsequentes his ferent sermonibus
Hi, quos obambit bulla purpureo croco
Et capita clauis vndiq; intenta aureis.
Regesq; principesq; primates viri.
Non vsq; adeo labascerent Respublicæ,
Nec templa turbarent, nec hostis patrias
Hostilibus calcaret ædes vngulis.
O si forent? sed si exulet primum omnium
Isthæc cohors strigosa fex palatium
Blandæq; gannitæ subadulans voculæ
Aulæq; tineæ, peniq; sorices.
Iam tum redire spes foret solem & magis

Feliciter

Feliciter procederet Respublica.
At tu facunde Duro, dic sodes mihi
Vnde, vnde tempus aureum? vt horam aut diem
Lucrare, quam mortalitati consecres?
Adeo te impeditum vsq; & vsq; conspicor,
Cum mane nondum aurora collustrat diem
Te curiæ, atq; controuersiæ vocant foras.
Ad prandium vt venitur, haud sumpto cibo
Temet momento recipis, quo veneras.
Vt tu satagis rerum omnium? vt tu deuoras
Nec ante rodis Duro vix molestias?
Nunc credo demum, quo quis est generosior,
Hoc mage labori mancuparier improbo
Quin ergo, Duro principum cor & salus
Themidos superstes hospitalitas sacræ
Quo minus iterum remigret ad superum loca,
Furare tempus, deuora molestias:
Et instar hos depasce flosculos apum
Duro de Pasculo, tametsi principum
Acore rancidum palatium obturuit
Ad ista lauta, dapsiliaq; cupedia
Tu pone tamen: fors cum putabis obsita
Et horrido obliterata puluere
Rursum eximet è fumo renascens seculum
Feliciorq; fors resorpta temporum.

A Clapmeier

ALIVD QVOD EST STICHODII LECTON SYLLOGISTICVM.

Duranti	*in rebus*	*solemnis*	*Gloria*	*cedet*
In rebus	*DVRIS*	*succurret*	*succus*	*honoris*
Solemnis	*succurret*	*odor*	*virtutis*	*amœnus*
Gloria	*succus*	*virtutis*	*post funera*	*tamdem*
Cedet	*honoris*	*amænus*	*tamdem*	*campus & (amplus.*

Assumpto conclusio.

At DVRO	*DVRAS*	*cultura*	*pascua*	*Murus*
DVRAS	*suffultus*	*munimine*	*iuris*	*honorus*
cultura	*munimine*	*flos*	*virtutis*	*in aulis*
Pascua	*Iuris*	*virtutis*	*Symplegada*	*tractas*
Murus	*honorus*	*in aulis*	*tractas*	*fortiter. ergo:*
Vna	*valens*	*virtus*	*Nobilitare*	*potest*

G. Valentinus Winther I.V.D.
Comes Palatinus. Ducis
Pomeraniæ Consiliarius.

IN EFFIGIEM EBERARTI von WEIHE EPIGRAMMA D. IOHANNIS MAIORIS P. C. SCRIPTVM Anno 1586.

Qui se doctrina & generis commendat honore
VVeihius, hoc habitu præditus oris erat
Indolis ac cultum Themis, vtraq; & vtraq; Pallas
Certatim dotes huic contribuere suas.

Dansq; operam Procerum causis, ad iura fidemq;
Respectum officii serius author habet
Huicq; suas curas, regniq; negotia credit
Qui frena Holsatiæ gentis Adolphus habet
Albidos in ludo sacra legum oracla reclusit
Verborum à laqueis iuraq; fasq; leuans.
Candidus interpres de iure rogatus & æquo
Responsum nullo ductus ab ære dedit.
Qui formæ status est: habitus quoque pectoris ille est
Forma notat fuci, pectus habere nihil.

SERENISS. ELECTORIS SAX. D. CHRISTIANI AD ILLVTRISS. DVCEM BRVNS. POTENTISS. D. HEINricum Iulium &c.

Legato & Consiliario D. Eberarto de Weihe.

REm veram enarro, seu te Iouis inclutaproles
Fecerit esse virum, Pallas an alma Themis,
Iste clues clues merito quem vesper laudet & orcus
Nil equidem doctis auribus usq; dabo:
Clarus ab eloquio qualis facundus Vlysses
Diceris in lingua cor animusq; tua est.
Ergo Duci excelso Theseus fidissimus astas:
Sæpeq; Legati fungeris officio:
An genus excutiam antiquum, ex quo natus inaulis?
En Eques à longis inuenieris auis:
O nostrum ætatis rarum decus optime VVeihe
Hic noster similem, vix habet ordo tibi.

Iohannes à Kotteritz Marchiacus Eques.

LEGATO ELECTORALI BRANDENBVRGI DOMINO CHRISTIANO DISTELMEIER CANCELLARIO MAGNIFICO ADIVNCTVS MENSE AVGVSTO 1590. Gandersheimger ſcripſit.

Eberartus à Weihe

ἀναγραμματικῶς.

IVS HABET VERE VERA.

VT bona vera ſacrum ius vere monſtrat habetq́;
Sic bona VVeihiades, vera Eberartus habet.
Seu ſpectes corpus, ſeu pectoris ardua dona:
Seu bona fortunæ, iuncta Eberartus habet.

Albertus Voitus Poeta
L. 1699.

ARITO.

ARISTOTEL. V. ETHICOR.

NVllam magnam ſapientiam putant eſſe, noſſe quæ iuſta, quæque iniuſta ſint: quia ea de quibus loquuntur leges, intelligere, difficile non eſt: at ea iuſta non ſunt, niſi ex conſecutione: ſed ita demum iuſta, ſi certo quodam modo fiant, & certo quodam modo tribuantur: Id autem operoſius eſt, quam quæ ſalubria ſunt noſſe.

Nam illic quoque mel, & vinum & Elleborum & vſtionem & ſectionem facile eſſe noſſe: at noſſe quomodo hæc ad ſanitatem adhibenda ſint, & cui & quando, ita difficile eſt vt medicum eſſe.

In eodem loco.

Dijs quidem nimium tribui non poteſt: aliis autem nulla eorum particula vtilis eſt, vt inſanabilibus & malis: imo obſunt omnia: aliis autem vſque ad aliquem modum: idque humanum eſt.

LECTORIS SALVTEM ET OFFICIA
Typographus.

MITTO ad te libellum, Peregrinationis solatiũ, & aulicæ vitæ præsidium continentem, aliquoties diuersis in officinis typis sub nomine Duro di PASCALO volgatum: exiguum quidem, & dicis causa conscriptum, sed vtilitate, & pondere rerum sat magnum, non quidem laboriose edolatum, nec excultum pretiosum tamen. Rogo itaq; ne molem voluminis, sed pstantiam probè consideres, illorum fugiens ineptias, qui terebyntho stultiores, ac malè prodigi, plaustra verborum, & commentariorum, quorum intemperantia laboramus nobis malunt obtrudere, quam folium sapientiæ communicare. Feceris hoc scio nisi credideris, te vltra pensum & fusum vitam ducturum, & aulica præcepta tradere esse rem accuratam, Menapio teste, ac volueris saccum fœni & nugarum pusillæ arculæ gemmis refertæ, & ingenuitati probæ præferendum esse: arte libros non mole probamus. Intelliges eo pacto auctorem non multa sed multum scripsisse, & potius veritati almæ, aureæ peregrinæ, nudæ & acerbæ ac copiæ, tum adulationi studuisse: aliud forsan iudicant, qui melle semetipsos perungunt.

Pusillam arculam gemmis refertam præferendam sacco fœni.

Dolo malo, vel in alicuius contumeliam nomen non mutauit author, nec vllam thesin conscripsit: arma legum ergo cessant, tum causidicina: nec errores in aulico calumniatur, quod esset toti immortalitati conuicium facere, vt fugiant, vt vitent, monet, & improbas aulas, tum aulicos ministros non aularum CAPVT Principem notat. Noxia Authoris mens non hausit, neque hauriat lector, cui inest cana rara, & syncera fides.

Auctorem dolo malo nomen non mutasse.

Pec-

Peccatum itaque nullum nulla iniuria, ea nemo hic aulicus affectus, nisi is qui doctrinam prudentum & viam virtutis, imprimis sacrarum Pandectarum, C. Taciti & Senecæ præcepta ignorat: Ex iis enim potissimum theses aulicæ depromptæ: nec authori ingeniũ inclarescēdi ꝑturbas.

Theses potissimum ex Tacito, & Seneca desumptas.

Hæc sit excusatio contractæ offensę sufficiens: mauult enim ipsam excusationem quam vmbram excusationis ꝓponere: non enim cupit quicquam in mente retinere, ꝙ distet à labiis, à corde: Ex ꝓposito Author à regia via Politicorũ, & à virtutis grege & area nunq̃ recessit. Mel an minus insuaue, quia febricitanti ita videtur? an sol non splendidissimus, quamuis cæcutiat talpa. Iniuriam nescio qui Rabulæ crumenimulgæ, & in ambone diserti Blaterones, Belatrones, vaniloqui hinc voluerint insidiosis latebris, & apertis fraudibus fabricare. Risimus camelum vel anum in cathedra, sancta scilicet, saltantem, & multa insulse carpientem. O calumniosa prauitas: Nouit te Author Struthionem volandi speciem habentem, non tñ pondere auri ac argẽti impeditum, volantẽ: Scimus tibi mulũ corrudentẽ adfuisse:

l. Labeo 7. §. Seruius de suppell. legat. Authorem nunquam à virtutis grege recepisse.

> *Non asinum rudentem Elephas, non murmura curat*
> *Infamis muscæ aut culicis, Philomela canora,*

Nil illis in me fraudes, & retia profuerunt. Quis vir bonus vnq̃ audiuit ex præceptis generalibus, & indefinitis, tũ impersonalibus politicis probis desumi posse iniuriã: Cancer hic leporem quærit, & maleuoli dant lapidi volam. *Quando .n. sine nomine cõtra vitia scribitur, qui irascitur*, inquit S. Hier. *accusator sui est.* Sed vnguis in vlcere ꝙ qui tangunt, qui curãt illis beneuolẽtia ac gratia nõ calũnia debetur: Cor, manus, ensis verberat, clypeus nullũ & brutũ fulmen fulgur ex pelui; Dixeris ẽt malitiosos lachanizare, vel betizare, Sed mittamus obtrectatores & oblatratores naturali feritate flagitiosos & bonos viros conuiciis lancinãtes, & nomen bonum vulnerantes.

Quisnam sit accusator sui

Non

Non deerunt forsan pellem rodere, qui alleo pastivelint „ caninam, sed canes degeneres & minuti, hospites allatrant, „ Leonem non tangunt: Deo principibus amicis gratificari, „ nulli mortalium, sed vitiis contumeliam inferre Author „ voluit: Labes enim illa nunquam Authoris mentem inuasit. Quæstionem itaque iuris curiosè conscriptam omittetere potuisses vti ipse fateris: cum sacerdotibus non satisfeceris Aduocate, sed piceæ ritu peribit. Et ne credas Lector quasi virilitate amissa timidum adeo Authorem vt ante quingentos annos (absit inuidia vt iactantia dicto) agnomẽ non incognitum, ne quidem abscribere ausus sit, asscripsit & præmisit lubens. Deus faciat vt Posteri non tantum nomen, & stirpem, sed & mentem bonam retineant, & tranquillitatis portum nauibus, & quadrigis ingrediantur; Sed quæ vena perpetua etiam familiarum non priuatarum: Sed imprimis principalium Dauidis potentia cum filio Salomone tantum floret: eo sublato diuellitur, & frangitur: Cyri potentia post Cambysem transfertur ad aliam familiam: Philippi inchoata felicitas cum Alexandro filio desinit: Vespasiani cum Tito: M. Antonini cum commodo: Cypseli Corinthii cum Periandro: Artali Pergamensis cũ Artalo iuniore cessat: & innumerabilibus exemplis refertæ sunt Historiæ: Fiat itaque diuina voluntas. Nomen Italicum ferè idem denotans præscripserat homo liber, & ingenuus non seruus, non seruus dotalis absque dolo malo tamen neminem in fraudem induxit, culpa ergo nulla: „ semper fraudes despiciam, despiciamq; dolos: inter aqui- „ las se non censet, neque tamen inter coruos: Seruus ex libero homine factus ex iussu vel gratia Domini mutat nomen, author mutauit iocandi causa, nunquam serio, nec absque insigni iniuria & damno familiæ potuit, nec iam in hac ferè senectute cruda, & hoc portu quietis priuatæ poterit.

Aduocatum frustra laborasse.

Authoris agnomen ante quingentos annos notam.

Nullam familiarum venam perpetuam.



AVLICVS.

I.

EXPENDAT, admonentibus prudentiæ magiſtris, qui ſe dicare vult Principibus, an ſemper occupatus, infelix ſurgere, labores aulicos tolerare, famem perpeti, ſitim ſufferre, inuidiam, calumniam, & contumelias, æquo animo ſuſtinere, honores, famam immortalem, ea in aula quam ingreditur, potentiā, diuitias, voluptates acquirere, & quod primum eſt pietatem exercere, veritatem, & iuſtitiam tueri, animæ beatitudinem lucrari, & quæ Deo grata, ac Reipub. ſalutaria ſunt, gerere quæat.

II. Hoc ante omnia ſtatuat, quod ſui iuris eſſe nequeat, contractu vltro citroq; celebrato, libertatē vendens: quod nullum proprium locum, vel lubricum habeat, omnia precario teneat: Propriū verò aulicorum ſit, ad principis etiam infimi acceſſum pallere, erubeſcere, ſimulare, fugitare, timere, obſtupeſcere, genua flectere, aſſurgere, manus oſculari, & reliqua: nudo capite, ſtricto frigore non attento, ſtare: omnia ſeruiliter, & ſuppliciter exſpectare, ſermonem cautè formare, ne quid proferas, quod Iupiter probaturus non ſit: laudes & vituperia eodem loco ponere: cum paribus perpetua, ſiue continua inuidia conflictari: apud proximiores Principi verbis, donis, blanditijs, aſſentationibus ſe inſinuare: vbique ridiculas fabulas in gratiam eorum qui illis delectantur, recitare, denique durum deuora-

uorare & crassum bibere: concoquere, & postremo nihil flagitare, sed parcè accepta, verbis augere, & amplificare, semper, & vbique gratias agere.

III. Quid præterea inquiunt, dignitatis in aulis culmen? Lapsus grauissimus: quid opes? vmbra non fructus, perpetua paupertas. Quid sapientia aulica? nugæ: quid pocula aurea? Veneni instrumenta. Quid catenæ aureæ? compedes animi, & conscientiæ: Quid conseruatio, & amicitia aulica? freni calliditas versutia. Quid aulici stipati satellitibus? captiui miseri custodibus circumfusi: quid in speculam aulicam positi magni Domini? nani: quid iustitiæ in aulis administratio? alimenta aliarum substantiarum, funis & catena litium: inuidiæ crudelitatis, tyrannidis: tantus est cumulus ingruentium malorum, vt nullus angulus sit tutus in aulis, nisi adulatoribus, & placentinis: Lex est sua cuique libido: Perpende fructum, & gaudia Aulæ, easque si sapis, fuge. In aula itaque vada, & Syrtus
„ imo & Circe: non tam in capite aulæ, ac in membris quæ
„ contra naturam regunt artificialiter caput: cum tamen
„ caput imperium exercere debeat in membra. Summa
„ summarum aulica vita, vt omnis humana est rosarium, habet flores spinis suis intermixtos, mel & fel, carpe bonos vita spinas, vtere dulci, respue noxiũ ac amarum, fuge mẽbra & caput corruptum: *in aula*, inquit Erasmus, *quã diutina? quã indigna? seruitus perferẽda, quanta sollicitudine ambiẽda principis gratia? Eblandiẽdus favor eorũ qui vel nocere possunt vel prodesse fingendi vultus subinde noui, mussitanda potentiorũ iniuria.*

IV Aulicus vir bonus, etiam optime de principe meritus vix potest inuidiam, & euersionem effugere, carceres & alias calamitates, tum ad minimum vicissitudines aulicas. Exemplum memorabile vt de veteribus Moise, Iosepho, Dauide, Harpago nihil dicamus miserabiles casus habemus in Macrino, Sejano, Ablabio,

Ruffi

Ruffino, & Papiniano, Bellisario, Petro de vineis luminibus priuato, Plautiano, Eutropio: Engeranno, Aluaro de Luna, Iacobo Corde indictâ causa condemnato, Ottone Crondorpffer: in Columbo quem fœde Bambadilla euertebat, in Cominæo, Bussono, Consaluo, Thoma Moro, & aliis infinitis. Multitudo infelicium amatorum, & aulicorum ingens est, & innumerabilis: nec desunt exempla, & documenta in aulis Principum luctuosa, barbarica, monstrosa, detestanda, fœda, horrenda, ad inuidiam perniciosa: quæ ludunt ad derisum vsque mortalium, & vitæ huius ludibrium. Et hæc commutatio non tantum in membris, sed etiam capitibus ac principibus operatur: in Iephte legitimè vocato, in Priamo, in Polycrate, Cræso, Dionysio, Demetrio, Nerone, in Henrico 4. Conradino turpiter à Pontifice Nerone Neroniore, & Saracenis Crudeliore securi percusso, Heinrico Leone, tum in Reginis, & Impp: vxoribus: O fortunæ aulicæ miræ vicissitudines, vt rectè de omnibus dicamus: *Tu me tibi genuisse: tu me perdere videris.*

O miseri, quos sors aulæ successibus inflat
Immemores, varias rebus inesse vices.
Sæpius elatos tollit fortuna ministros
Casu dejectos vt grauiore premat.
Sic olim Macedo præstrictis faucibus, Ammon
Mennonias perij pendulus ante fores.
Sic Thallo fuit Augusti mutatus in iram
Cruribus effractis pernitiosus amor.
Sic vnco Sejane tibi raptate per vrbem
Attulit à Capreis littera missa necem.
Sic Burrhus sæuo carissimus ante Neroni
Inuisus tandem toxica dira bibit.
Sic Bellisario sunt eruta lumina: Summus
Hoc illis locus, hoc mobilis aula dedit.

Hæc vt amicitias stabiles non esse potentum
Sic exempla monent: Viuere quemque sibi.

Auctor carminis remotus ab aula, magna tamen ambitione aulam rursus senex ingrediebatur, in eaque moriebatur. Et hæc in omni genere Reipubl. deprehenduntur. Attica ciuitas Meltiadem in carcerem penè ad mortem vsque detinuit: Aristidem, Themistoclem, Cimonem expulit; Alexander Clotum, & Parmeonem interfecit: Roma Camillum exilio mulctauit.

V. Itaq; si hæc & alia, quæ aulici scriptores recēsent mala timet, aulam fugiat, & priuatus viuat: qui licet, & suas sentiat difficultates; tamen opinione hominum nihil præstabilius mediocri vitæ genere priuato, quod qui assequi, & & tueri potest is Cominæo videtur fœlicissimus: cum ea se plerumque in aulis nobis obijciant, quæ probo ac sapienti occasionem ad eas vel leuiter aspirando, præripiunt. Vna ,, itaque hæc via videtur sapientibus ad tuta vadentibus: ex- ,, terna despicere, & honesto contentum esse, & sua agere, ,, quod jucundissimum viuendi genus Plato iudicat, & inæstimabile bonum est, suum fieri, vt Seneca censet:

Felices quibus obtigit
Sors, nec summa nec infima:
Sed sanè modica, & quibus
Castos annuit aurea.
Nancisci thalamos Venus.

—— inquit Euripides. ——
—— Et aureum Senecæ illud:

Qui notus nimis omnibus
Ignotus moritur sibi.

Eleganter elegans, eruditissimus & grauis Poeta.

Præstat suppellex sobria
Recteque parta recula

Quam

Quam rapta per vim diuitum.
Fastidiosa copia.

—— Quod vulgariter exprimunt:

Cum dat oluscula
Mensa minuscula
Pace quieta:
Ne pete grandia
Lautaq; prandia
Lite repleta.

Præferas oluscula Diogenis , Arisppi ferculis aulicis exquisitis.

Felix cui numina parca
Quod satis est tribuere manu mentemq; quietam:
Magna tenet quem parua juvant: petit alter honores
Diuitias alij prædasq; sequuntur & amplas
Inter opes inopes, placidi non munere somni
Vtuntur, metuuntq; manus & spicula furum
Inuentisq; timent opibus frugaliter
Conscendunt alij magnorum limina Regum,
Quos rota fortunæ celeri vertigine raptos
Euehit & summo sublatos vertice sistit.
Cumq; putant manibus Regum se corda tenere:
Sortis & immemores, cristas & cornua sumunt:
Instabilis rota fortunæ mox rursus eosdem
Deijcit vt damno derisi dedecus addant.

Non tamen hoc sensu vt ille

Tuta & parua laudo.
Cum res deficiunt satis inter vilia, fortis
Verum vbi quid melius contingit, & vnctius idem
Hos sapere, & solos aio benè viuere quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

—— Elegantissimum est illud quod subijcitur——

Hispani viri ad inuidiam eruditiss. A. Montani.

Nil non laborum improuida mens sibi
Molitur vrgens dum refugit modum,
Et multa fumantes honores
Optat, auens inhiatque famæ.
Ille est beatus, qui populi improbis
Distat remotus iudiciis procul,
Nec nauigantem se procellæ
Credidit, auspiciisq; vulgi.
Inuentus alti sideribus poli,
Nauimq; soluit, velaq; temperat
Nec mergit alto aut æstuoso
Reptat agens Pelago carinam.
Terram sed vnde exoluerat aspicit
Longè nec audet littore cedere
Portumq; contendit secundis
Flatibus haud tumidis tenere
Hic præmonentes constituit Dei
Leges & almum consilium sequi,
Dexter sinisterq; haud abire:
Nec cupidè inseruisse menti.

VI. Consideret & hoc. Paucos in aulis bonos inueniri: Est enim tralatitium, ad aulam & bellum paucos bonas artes adferre: & barbarè tamen verè veteres dixisse.

In aula Regis non est multum legis.
Si qui sunt boni, coguntur esse ὄνοι.
Si qui sunt mali, sunt in gratia regali,
Si qui sunt cæteri, fermè sunt bibuli:
Qui fore vult bonos est miser & onus, onerosus:

Curialium enim vita est iniquitas, inquit Saluianus. Ibi luxus, ibi superbia, ibi calumnia, ibi fraudes, & ea omnia quæ exitio piis esse solent. Vitia ista omnia non Principi-

bus

bus,& aulis, ſed vitiis hominum in quibus non eſt ſalus,aſſcribimus.

Ethnicorum præcepta,& profanorum doctrinæ te ſi nō mouent, ingrediantur mentem, & pectus tuum ex ore aureo ſanctiſſimi viri emiſſa : Aulici non ſibi viuunt, ſed alteri, & mille crudelibus Dominis premuntur : quos ſi recenſere placet aliquem ex his qui apud Regem plurimū poſſunt,nobis proponamus.Cui magna affluat.

Rerum copia:
Ingens potentia:
Patriæ ſplendor:
Maiorum nobilitas:
Ad quem vniuerſa reſpiciat ciuitas.

Conſideremus igitur an iſte ſeruus omnium abjectiſſimus ſit. Quod vt facilius demonſtremus,non ſimpliciter ſeruum , ſed ſeruum ſerui ei conferamus: is igitur ſerui ſeruus , etſi non liberum, vnicum tamen habet Dominum, ad cuius nutum omnia refert: quem ſi malè, vel benè agendo propitium ſibi faciat , ſine aliqua cura , quietè viuit : Ille verò quem admiraris, non vnum aut alterum, & multos & importunos ſibi Dominos conquiſiuit. Dominatur enim ei primò , Rex ipſe : Non eſt autem æquale abjectum habere Dominum , & Regi ſeruire , cujus aures multorum verbis expoſitæ ſunt, & modo hi ſibi, modo illi perſuadent. Quare quamuis nullius ſibi mali conſcius ſit , qui Regi ſeruit: omnes tamen timet , tam pares,quam ſibi ſubjectos , & tam amicos,quam inimicos. Sed hic etiam inquies Domini terrore agitatur : At non eſt æquale vnos & multos timere : imo vero ſi quis voluerit diligentius inueſtigare, multos ille, neminem hic reformidat. Cur & quo pacto ? Quoniam iſti nemo eſt qui inuideat,quique iſto expulſo velit ad eandem ſe intru-

dere ſeruitutem: Quare fit, vt nullus inueniatur qui ſibi velit inſidias tendere: multi verò ſunt, qui nulli aliæ rei ſtudent, quam illum, qui proximus eſt Regi, à ſtatu eijcere: Quare omnibus adulari cogitur: Maiori, æquali, amicis: Nam vbi gloriæ cupiditas eſt, ibi quia livor ſuas vires exercet, nulla poteſt ſincera amicitia inueniri: Sed quemadmodum qui eodem artificio quæſtum habent: Sic omnes qui
„ vnam rem in ſeculo appetunt, ſincero aut puro nequeunt
„ amore cõiungi: Vnde fit, vt bellum intus ſine induciis ſem-
„ per geratur. Cupiditas vitæ æternæ turbam, aulas, & negotiorum nomina nobis Chriſtianis inuiſa non facit: quis itaque in nobis eſt calor pietatis? quod deſiderium viri boni, quæ auiditas Chriſtum videndi.

VII. Inde coniicimus, Imperatorẽ Iuſtinianũ non fruſtra Epiſcopis ſeuerè interdixiſſe, ne aulam adirent & admiſſi, negocio expedito, ſtatim diſcederent. Hodie primi, & vltimi in aulis,

Certe Ego, ſi probitas ſic eſt inuiſa, libenter
Sub lare priuato tempora ſola teram.
Quo ſceleris minus aſpiciam in caligine nec me
In prauas partes agmina veſtra trahant:
In tenebris potius mœrentia carmina fundens
Fata indigna mei temporis, ore querar inquit Poeta Maior.

VIII. Fatemur tamen interim in hominis poteſtate & arbitrio nõ poſitum, ꝙ vitæ genus velit ingredi, ex Ieremia edocti. *Vt enim voluerit Deus, ita viuendum ſiue velimus, ſiue nolimus,* Philiſco apud Dionem teſte. Nec precio tamen nec precibus moueatur, vt obliget ſe ad certos annos: eo enim pacto multa poteſt euitare incommoda, & arripere alias occaſiones oblatas: Senex tamen ad vitæ terminum vſque ſe poterit obligare: cum non diu viuat quamuis & juuenis citò mori poſſit.

IX. Si in tua eſt manu, *lõgè abeſto,* inquit Eccleſiaſticus, *ab*

homi-

homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem mortis: Etsi accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne fortè auferat vitam tuam: communionem mortis cito, quoniam in medio laqueorum ingrederis, & supra dolentium arma ambulabis.

Sed hæc est insania, & fatuitas hominum, vt vnius aulici fortunam, & successum admirentur, & obseruent, multorum euersionem, & innumerabilium negligant: Quemadmodum infiniti suspiciunt Francisci Draconis splendorem, & opes in Indiam nauigantis, & interim aliquot millia hominum interitum non considerant.

X. Curia semper facilius recipere quã facere bonos cõsueuit, in exordio, & primo ingressu gratus, & acceptus est aulicus: vt Dauid in aula Saulis. Sed hanc dulcedinem mixto aceto corrumpit aula ipsa: Dauid erat le gran Scutier, aut Marescallus, sed statim cœpit laborare odio Saulis capitali: Abrahimus erat apud Turcam penè in pari gradu dignitatis, periit tamen calamitosè.

XI. *Stet quicunq; volet potens*
Aulæ culmine lubrico
Me dulcis saturet quies:
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio.

XII. Si quis in magna gratia est, caueat ne diu in aula subsistat, sed vt quã primum auolet: mora enim domesticos ministros offendit, etiam principi grata, & audiet illud Achis ad Dauidem: *Rectus es tu, & bonus in conspectu meo, & exitus & introitus tuus mecum est in castris: & non inueni in te quicquam mali ex die qua venisti ad me vsque in diem hanc: sed Satrapis non places.*

XII. In aulis Principũ quisq; principis vitam interiorẽ, consilia, iussa, facta, ordinem, ingenium aulicorum, & Gynecæi constitutionem consideret: item adulationes, delationes, nec apud amicos tantum fidem suspectam habeat:

verum etiam apud præcipuos, nihil ſimplex, nihil ſincerum cogitet, & Magiſtrum Aularum Cornelium Tacitum adhibeat.

XIV. Animus eſt qui vitam aulicam, vt omnem aliā vel ſuauem, vel moleſtam, & acerbam reddit, & qui commendat omnia, à quo, ſi vir bonus impetrare poteſt, aulæ pelagum & mare inquietum, in quo infinita ſunt monſtra, magno & recto animo Dei ordinationem perpendens, ingrediatur effœminatorum hominum Philoſophiam ſimulatam, & momentaneam, & dicteriū vaniſſimum. *Baldezza de grand. Signor. Capell. de matto*, contemnens & illud Bezæ.

Stultus ab hac, vitam, qui ſibi morte petit.

Theologi itaque ſententiam non probo dicentis, Regijs menſis aſſidentes multis ſceleribus implicari, quaſi verò Ruſticorum conuerſationi, tum cauponum, nō omnis generis vitia poſſint aſcribi.

XV. Licet Baſilius Magnus, Petrarcha, Antonius de Goeuara, Cornelius Agrippa, Sereſbarienſis, Æneas Syluius, Huttenus, Eraſmus, Simon Majolus, multiq; alii vitā priuatam, & ſolitariam ſuauiter, & eruditè commendent: Et Thuanus multos Imperatores Diocletianum, Theodoſium, Anaſtaſium, Lotarium, Carolum V. enumeret, vitam priuatam imperio relicto, eligentes: toto tamen cœlo aberrat, qui vitam priuatam ſolam per ſe beatam eſſe exiſtimat: nullum enim eſt tam inſulſum, & impiū factum, quod authore careat inter priuatos: & priuati ruptis legum formulis, ruptis veritatis, & honeſtatis repagulis, partim inſcitia, partim improbitate, quicquid volūt, agunt: & inter priuatos regnat luxus, faſtus, perfidia, dolus, vanitas, aſſentatio furtum, adulteriū, mēdacium, ſcortatio, calumnia, ſimulatio, diſſimulatio: & nunquam prudētia, & beatitas humana meruiſſe potuit, vt id quod naturæ vniuerſæ communiter accidit, in eo quis priuatam aliquam præ cæteris fœlicitatē

ſibi

sibi polliceatur, nisi solo animo aduersa corrigat. Quamobrem Xenophon vitam aulicam priuatam in multis superare, demonstrat Simonidi *in libro de Regno.*

XVI. De omnibus enim, tam priuatis quam aulicis dictum; Maledicta terra in opere tuo; *in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Dolia duo in limine Iouis; alterum bonis, alterũ malis plenum.

—— Et illud;

Ambitiosus honos & opes, & fœda voluptas
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Eruditi, ac magnifici ambitu, potẽtes factionibus infirmi, ac imbecilles autoritate opinionũ in hãc scenam trahũtur.

XVII. Non itaque aulam, sed mundum vniuersum fugiat, qui beatam vitam quærit.

Væ soli homini, solus homo est pecus Deus ve
Te animo populis subtrahe, non pede, atq; dura.
Vita quid est aliud, nisi Scena? aut ludere disce
Curis sepositis aut cruciare miser.

XVIII. Pulchrũ enim est, & humanitati consentaneũ humana negotia, dum inter mortales viuis tractare, iubere, expedire: Pulchrũ est inquam, in toga togatis ius dicere, tũ inter arma & hostes militibus: Imperare enim aliis, plurima possidere, plurimum scire, & plurimum posse, diuitias & honores teste Homero *Odyss. 1.* affert: quamuis parũ differant à seruorũ conditione, quibus non datur viuendi, & recedendi potestas, Lenior seruitus, quia aurea videtur.

Scilicet est aliquid generoso carcere claudi,
Et iuvat aurata compede posse frui.

Vnde Claudius Imperator Sardinium Gallum aureis compedibus ligabat: Inde Alciatus Emblem. 160.

Vana Palatinos quos educat aula clientes
Dicitur auratis nectere compedibus.

—— Nathan Chytræus:

Aulicus exoſam toties ne deſerat aulam,
Aurea vincla, quibus detineatur, habet.
Auro etiam muto vis maxima perſuadendi eſt,
Tum quoq; quod loquitur plurima quando tacet.

Inde Diogenes ſcribebat Ariſtippum in aula Regia aureis teneri compedibus ne poſſet auolare. Et tamen compedes ſuas amant aureas aulici, quærunt, & niſi cum vita abijciunt.

XIX. Stultos itaque ineptè Syluius cenſet, qui aularum moleſtias amant, ſequũtur, & priuato vitæ generi præferũt: cum tamen ille per aulicos gradus ad Pontificatum aſcenderit: Et ſanctiſſimi licitè in aulis vixerunt, Ioſephus, Moyſes, Dauid, Abdias, Nehemias, Daniel, & Iohannes Baptiſta, quique Eccleſiæ, & piis multum profuerunt: Veruntamen miſerum exitum plerique habuerunt, tamen glorioſum.

XX. Verum poſtquam ſit ————

Aula locus fortunæ ſuos vbi lubrica ludos
Ludit, & eludit, nunc hos, nunc deiicit illos.

———— Sit inquam

———— *Aula*

Curarum pelagus, vaga ſpes, via plena pericli
Splendida damna, quies irrequieta dolor:
Fac prudenter agas, nam quæ tibi vita putatur
Hæc tibi mors ſubitis caſibus eſſe poteſt.

———— Ergo ————

XXI. Is qui aulam ambit hiſtoriarum, & linguarum cognitione, eloquẽtiæ, & iuris p̄ceptis benè inſtructus: de tali enim agimus. Demoſthenes tres qualitates in cõſiliario deſiderabat Beneuolentiam & fidem, experientiam ac prudentiam, Verba Demoſthenis ſunt: *Tempus illud, & dies illa non modo beneuolum & diuitem virum poſtulabat, ſed talem, qui his negotiis ab initio interfuiſſet, & qui rectè ratiocinaretur, quid*

moli-

moliretur hostis: Nam qui hæc neq; nouisset, neq; multo antè studiosè considerasset etiamsi beneuolentia erga ciuitatem, & diuitiis excelleret: tamen neq; scire poterat quid agendum esset, neq; Reipub consilium dare. In principio principium videlicet Deum Ter Optimum Maximũ ardentibus votis pronus invocet, vt in vastissimo pelago, ac monstrifero inter Scyllam & Charybdim nauigantem gubernare, & custodire velit, ne aulicus plus creaturam hoc est Principem, quam creatorem Deum colat, ne per pericula ad grandius perueniat, ne cuiquam noceat, sed sua & necessaria agat, nec vnquam iniustum approbet, vel executioni committat, vt non tãtum ad stationem, sed tandem ad portum æternæ, & cœlestis aulæ perueniat, cotidie clamans seriò cum Ioach. Camerario.

Tu rege consiliis actus pater optume, nostros,
Nostrum opus vt laudi seruiat omne tuæ.
Tu rege me tragici ne sim mihi causa furoris:
Vitaq; in offenso transeat acta gradu:
Non sim ludibrium fortunæ, & concio pœnæ:
Vsibus exclusit quem tua cura suis.

XXII. Aulico ac omnibus mortalibus semper sint in conspectu, ac corde cogitationes de morte, & dicat cum Monacho Hardehusiano:

Quod fecisse velis hoc tempore cum morieris
Hoc facias sanus corpore quo fueris:
Sæpè recorderis bene frater quod morieris
Vile cadauer eris, rogo te, super hoc mediteris.
Quid nunc omnis homo est nisi mortuo corpore massa,
Ossa, cinis, puluis, nomen, imago, nihil.
Vidi Ego mane rosam nasci cum lumine solis
Et vidi rursum sole cadente mori:
Forma fauor populi feruor juvenilis opesq;
surripuere tibi, noscere quid sit homo:

Post hominem vermis post vermem fœtor & horror
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Non refert in quo loco, & in qua aula moriaris : Aula enim cœlestis de Hierosolymis, & Britannia, vt S. Hieronymus loquitur, æqualiter patet.

XXIII. Ante oculos simul versentur humanę vicissitudines mundi senium, scelerum grassantium, dira facies tragici exitus aulicorum, dies expeditionis, hoc est, nouissimus.

XXIIII. Perfectæ ætatis, & ἀκμῆ impleta ingrediatur aulam, ante enim eã ætatem: imò, vix cum annis venit sapientia: Vnde Mancinas ex Aristotele dicebat: *Iuuenes geometras esse posse, sed non sapientes.*

Etiam etiam ex sententia Homeri: *Iuuenes plerumq; desipiunt*, plerumque tamen verum illud:

Chi de vinti anni non è
Di trenta non sa,
Di quaranta non ha,
Mai Sara, mai sapera, mai hauera.

Colonum & militem rarò senem conducimus: Consiliarium quærimus: Senes Consiliarii negliguntur successore nouo Roboam factitante. Sexagenariis corpus meum quandoque valenta : non cogebantur ad suffragia liberi si vellent vt nec ad militiam cogebantur volentem admittebantur.

XXV. Iuuenes aulici deliberationes, & actiones floridas, lætas, luxuriantes ; profluentes, virilis ætatis breues graues, sobrias, maturas, & orationes concisas habent.

XXVI. Neque conducit ante annos multa didicisse: decedunt enim in senectute memoria, & iudicium, & rarò ad frugem perueniunt.

Ante

Ante annos sciuisse nocet: nam plurima virtus
Persuasit morti vt crederet esse senem:

XXVII. Aulicus diuinâ gratia & ope munitus legitimè inter aulicos cooptatus reliqua credat Deo, ipse viam inueniet facilem, & rem omnè ita diriget, vt aulicus fœliciter enatare, & viuere possit. *Qui sperant in Domino assument pennas, & volabunt, ambulabunt, & non deficient Isaia teste magnos honores non sumat, nisi coactus.*

Quem Deus extollit, benè tollitur: at simul ipsum
Te tolles, manibus stulte premere Dei,

Aulice

Credere Deo te, remq; tuam, & spe falle dolorem,
Euentus pia fata dabunt prece victa secundos.
Committenda Deo est rerum fortuna tuarum
Vita, labor, tua sint munia, cura Dei.

Oculi enim Domini contemplantur vniuersam terram & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Quanta enim res sit Deo se dare, ab eo pendere, humana nosse, ferre, aspernari, & diuina decreta sine murmure subire, docet Iob. Deum itaque sequere; si agnus, si hædus inter lupos rapaces matrem inter mille agnoscit, & per deuias vias sequitur, quod ab ea alatur, cur homo altorem suum non sequeretur?

XXVIII. Sic

Fert placide casus nec ab ordine cedit honestas,

Modo sis talis, qualem Dauid *Ps. 101.* graphicè depingit. Et in aula probentur spiritus an ex Deo sint. Regulariter enim qui causæ publicæ, ac saluti fauent laudandi; qui priuatum commodum spectant, expellendi: talis sit vt Princeps, & subditi dicant: *nunc cognoui quod timeas Dominum.*

XXIX. In aulis multa, imò infinita mala inde oriuntur, quod sint similiores Oligarchiæ, quondam aliquãto similiores Aristocratiæ erant: ex eo ridentur, & exploduntur

Saniorum opiniones, cum tamen neque Alexandrium neque Achilleum in ijs sit qui bonorum consilia derident, & primas tenete conantur, plerumque inepti, & impii: ne tamen cum canibus in sacro pugnes: sint Platones, sint Salomones.

XXX. Aulicus sciens facilẽ esse ex aula descensũ ad Diaboli seruitutẽ, certas horas precibus, & lectioni sacrę scripturæ singulis diebus tribuat, nec sequatur illorũ morẽ, & mundi amorẽ, quibus tempus superest ꝙ tribuant cõmessationib. aleis, pilæ, aucupiis, venationibus, otiosis obequitationibus tũ excogitandis cõpendiis, quibus expilẽtur ciues, opprimãtur innocentes: nullum verò ꝙ legendo verbo Dei impertiant. Bonus vir aulicus insistat vestigiis & ex-
„ emplo Obediæ præfecti aulæ Regis Achabi impij, Danie-
„ lis, Eunuchi Candacis Ethnici, Thesaurarii Reginæ Æthiopum, Nicodemi, Centurionum, ac aliarum præclarissimarum personarum: oportet semper orare, & non deficere, orationi lectio, lectioni succedat oratio. Ita enim legas scripturam, vt verba vertas in opera. Oratione mala franguntur consilia. Sic Dauid orabat; *infatua Domine consilium Achilophel.*

XXXI. Orationem, & vitã bonis operibus confirmet,
„ inprimis eleemosynâ, quæ est ars omnium artium, autho-
„ re Chrysostomo, quæstuosissima, & Ethnicis grata: quod homines conspicuos reddat, Homero teste.

XXXII. Deinde cũ ex sententia Egisippi dignitate dominantium ministrorum obsequia ornentur, & *viuere sub principe potentissimo, Libertas sit*, Luca de pena referente; quærat potius potentissimi Principis, quam infirmi, & libentius prudentissimi, quam potentissimi aulam. Recte enim Guntherus:

Vsq; adeò magnis Ducibus seruire lucrosum est.

In aulis namque potentissimorum magnis magna ar-

dua

dua, & præstantissima splendidissima geruntur, tractantur, audiuntur: quis enim quem non recipiant, quæ etiam negotia quæ non admittant? Verè itaque de aula Cæsaris Guntherus.

Omnibus è terris, & ab omni gente profecta
Invenies, vt qui linguas moresq; locorum
Et quod in toto rarum contingit in orbe
Agnouisse velit nunquam perfectius illa
Edidicisse queat.

Quibus tamen non eos annumeramus, qui *Honorarii Cæsaris* appellantur Consiliarii in consilium nunquam vocati, & qui Cæsarem nunquam viderunt. Ridiculè.

XXXIII. Sic Medicus libentius medicinam facit Regi quam aliis, quia magni salus, multis saluti esse potest: Similiter animosius laborem, & curam ponas, & vires consumas in grauissimis, quam exiguis negotiis: Experientia tamen probat, rarò feliciter egisse in paruis aulis in magnis versatos arduis negotiis adhibitos, & è contra.

XXXIV. Aulici semper implorent auxilium diuinum negotia aggredientes, quod si neglexerint, incerta & dubia consilia habebunt. Orabat Iosua Dux belli, aulicus sanctissimus, cuius imperio Sol stetit immotus: Lapsus est negligentiâ, confidentia, & absque dubio Deum non implorans, in magnum errorem; Gaabonitis in fœdus receptis. *Ante orationem*, inquit Salomon, *præpara animam tuam*: "
& relinque cum Abraham pueros, vt expectent cum "
Asino.

XXXV. Ex sententia Scaligeri istius magni

Aulam reperit qui bonam & vtilem, & fidelem
Me authore sequatur, duce me, meq; sequente
Si quis quæritur, nec fugit, huius miserebor?

Qui manet mutationem timens, aut non est Idoneus ad res gerendas, aut diuitiis impeditus ibidem collectis,

Seruiat vt seruus minus idoneus
Vel fugiat vt Ceruus liber & aptus,

—— Miserum est & turpe canescere inter seruitia: senescere in tumultibus & mori in ambitione.

XXXVI. *Cum persequentur vos in vna ciuitate, fugite in aliam:* Sol per vniuersum currens mundum, non cõtemnitur: Moyses potuisset propius accedere ad ignem aulicũ & ditescere in aula Pharaonis, verum noluit: Et Dauid impiã reliquit eligẽs Domum Domini: quamuis raro bene institutæ reperiantur; in nonnullis Principum auaritia & sordes, in aliis luxus, calumnia, iniustitia reperitur, aliis deest dispositio, Oeconomia, & vera præmiorũ & pœnarũ distributio.

XXXVII. Querens tamen meliores aulas quandoq; in deteriores incidit: mutauit Cominæus sæpius felicius: Quemadmodũ enim est in fabula de ranis: quæ dũ quærũt cõuenienti ora loca, & dulciores aquas, in peiores, & tandẽ in extremas difficultates delatæ sunt: Sic & aulici: Semper enim est factũ, & itidem modo in aulis fit, in quo loco quisque est: eo se minime cõmodè esse opinetur, & quidẽ in omni vita: q; vidére est in fabula de Asino subinde Dominũ mutante. Mutare tamẽ turpè non est in milite & aulico: intra decenniũ p̃fectus militiæ quandoq; multos Duces habet. Molestiarũ culpa non est in aulis, sed animo male constituto. Commodã verò dicimus aulã ac bonam, nõ in qua „ opes augere, sed iustitiam exercere, & veritatem libere di- „ cere, & multis prodesse possit. Hoc enim te tantis mortalium opinionibus, tantis de te iudiciis, tantis honoribus debere scias, vt consulas omnibus, vt medeare incommodis hominum, prouideas saluti omnium, & etiam tuæ.

XXXVIII. Aulicus etiamsi Dominũ habeat morosè, & superstitiose iudicantẽ, & legũ legitimos tramites transgredientẽ, καὶ ἀηδῶς reprehendentem, καὶ πράγματα ἔχοντα περὶ αὐτὸν ὥσπερ ὑ κακίας περὶ: curiã ingrediens, & in consessu videns multos

hostili

hostili animo erga veritatẽ & bonos præditos, & difficiles cum stultis peruersis, infidis deliberationes futuras: tamen magno animo omnia mitigabit, & operam dabit, ne fiant atrociora: Deumq; orabit vt animos, & actiones gubernet, & custodiat diuinis oraculis fretus, quæ testantur, Respub. & aulas Deo esse curæ: emendatione non secuta, discedat, & ita discedat, vt abiens, si voluerit, reuocetur.

XXXIX. Generalis est regula in omnib. aulis, ne ad aulã, ne ad Principẽ, ne ad mensam, aut cõclaue Principis accedas, nisi vocatus, neue fias Principi nimis familiaris. Et q̃uis potestatẽ conclaue ingrediẽdi habeas, tñ nihilominus facultatẽ impetres. Necessitate vrgẽte possumus exemplo Mardochæi cameram Principis ingredi, etiam non vocati.

XL. Si euersionem timet potius paruam quam amplam, & potentem aulam adeat: Licet plerumq; in paruis aulis plus sit iniustitiæ, ac in magnis: Quamuis τὸ μεῖζον, τὸ ἧττον non sint διαφοραὶ εἰδοποιοὶ tamen.

Aula suos retinet mores, sit parua sit ampla
Quo maior tamen est, hoc violenta magis.

Etenim:

Fortuna magna non caret formidine
Nec splendor eminens vacat periculo.
Et quicquid altum est, haud tutum diu manet:
Vt quod ruat vel inuidia, vel tempore.
Felicitatis ad arcem quando accesseris,
Mediocritas vbiq; res tutissima est.
Namq; hæc nimis nec arduam in mentem cadit
Nec stratam humi, nimisq; depressam colit.
Quicunq; nam minus cadit procaciter
Hic vulnere ictus læditur sanabili.
Sed magna moles magno intercidit impetu,
Laborat inuidia quodcunq; splendidum est.
Et mergit hos fortuna, quos prius extulit.

Et:

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntq; summos
Fulmina montes:

Tutius tamen in Cæsaris, ac in multorum Principum inferiorum viuitur aula.

XLI. Conditio humana non fert summa. Factiones sunt in potentiorum aulis magnis, magnæ, in paruis, paruæ suspiciones, delationes artificiosæ, & palliatæ, & rarò recto iudicij oculo veritas cernitur, & Principi referendo proponitur. Plærumque fit, vt Midæ præsto sint duo pessimi consiliarii quorum alter à Luciano ignorantia, alter suspicio vocatur.

Huic geminæ assistunt dextra læuaq; puellæ
Consona quæ propriis omnia rebus habent:
Prima loco motam tenet ignoratio mentem
Altera suspicio credere falsa docet.

XLII. Quamuis Quintillus Plautianus, vnus ex primis senatoribus, grandis natu, viuens ruri, nec quicquam quærens aut faciens curiosius, calumniam aulicam non effugerit & sublatus sit: cum tamen eo tempore putarint cælum citius ruere posse quam Plautianum, Dione *in Seuero* scribente mala enim vnde minime expectantur, erumpunt. *Disce meo exemplo Dominos vitare dolosos*, inquit Plautianus.

XLIII. Non ex infima plebe & vulgo literatorum aulici sunt assumendi, sed viri authoritate graues, pietate, fide, experimentiâ & eloquentia celebres & præstantes eligendi & quorum fama etiam Principum gloria illustrior reddatur, Cominæo suadente, & Saul quemcumque viderat virum fortem & aptum ad prælium, sociabat eum sibi

quos

quos (vt in *Principe* dicemus) tanquam patres colant, & quasi corporis portionem defendant, contra omnem vim, omnem iniuriam, cum senatus sit pars melior humani generis, splendor Vrbis & Orbis. Et Regium esse Homerus dicebat, ius, nullum inique tractare. Benedixit Dominus domui Ægyptij propter Ioseph.

XLIV. Exinde apparet, de quibus aulicis loquamur: non de plebeis improbi animi, continua subiectione gaudentibus, & circumeuntibus nobilium & præcipuorum aulicorum ædes: qui omnes subsequuntur, omnibus adulantur, omnibus omnia fari student, per alienas domus liguriunt & catillant, conuivarum sermones explorant, quibuslibet renunciant, vt quacunq; possint arte, muneribus ac donis crescant ac grati sint.

XLV. Tales quamuis sint fugiendi, & illorum consortium vitandum: tamen sæpius boni illos & parasitos suo victitantes succo inque fame durantes, donec contingat lautior cæna Principibus gratos admittere muneribus ornare, ne noceant, coguntur: Duplices enim dicunt Dios, hos inuocandos vt prossint, illos ne noceant, tacite tamen illis inscribimus illud Plauti in Pseudalo:

Homines qui gestant quiq; auscultant crimina
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant
Gestatores linguis auditores auribus.

Pessimum genus Senecæ videbatur, qui verba gestarent: sunt quidam qui vitia gestant.

XLVI. Aulicus tanquam exercitatus Medicus debet præuidere in exordio vitæ aulicæ, quid sperandum, quidve timendum sit in aula, neque plus timere, neque plus sperare quam conuenit. Facile enim potest cognosce re, spes cum sit ponenda, in augmento vel declinatione, quo cognito pragnosticon instituat, & consilia dirigat. Qui enim mare ingreditur & nauigat fluctus expectat, qui

aulam, omnes motus. Vbi non ſunt ordinaria conſilia & pro libitu & ſecretò negocia expediuntur, mulctæ ponuntur, varia genera extorquendi excogitantur: ibi non ſperandus bonus euentus.

XLVII. In primo ingreſſu alicus ſuperſtitiosè inquirat, quibus rebus delectetur Princeps quaſque auerſetur, & è familiaribus & domeſticis caute expiſcetur.

XLVIII. Prudentis aulici eſt præuidere quid aggrediendum, quid iuſte expediendum, quid decenter petendum, quid vitandum, fugiendumque & quibus mediis ad finem propoſitum ſit perueniendum & hoc meditandum inclinata iam die certum ex variis eligendum: Chuſai conſilium præferebat Dauid conſilio Achitophel.

XLIX. Aulicus tamen in ſecundis vel aduerſis rebus inquirendis, non debet vti magicis artibus, vel aſtrologicarum prædictionum ſtudiis, quibus aulicos in Scotia addictos Reginam Galliæ Catharinam addictiſſimam fuiſſe aſſerit Buchananus Thuanni. Eadem ſtultitia eſt & impietas, obſeruare dies fauſtos vel infauſtos, vel nigros in adeundo Principe: quibus tamen aulicum quendam concionatorem multum tribuiſſe ſcimus. Nominandus ne? Somnia tamen cum Gedeone ne ſemper negligat.

L. Qui morborum curam committunt, magis illi volunt, vt potius elementa ruant & vaſta hæc mundi machina redeat in ſuum Chaos: quam vt aliquid aduerſi ſuſtineant: Sed eo ventum eſt in aulis, vt diſcrimen honeſtorum & turpium variis coloribus, pingatur, fingatur.

LI. Non illis præcepta præſcribimus Prin-

cipaliter

cipaliter qui de canibus, de venationibus, de Syluæ ſitu & ambitu, de ambage luſtrorum, de venationum ſucceſſu, de equis ſemper fabulantur; illi enim plerumque obſeruant tempora Principum, teſte Ægrippâ & ea à vino, à prandio, à conuiuio, à venatione, ab accubitu captant, & gratis nouis aures Principis titillant, deinde paulatim ad ea quæ cupiunt progrediuntur.

LII. Et quia miſerrimi ſunt aulici, velint nolint, verſari debent cum Thraſonibus, qui faſtu, luxu, conuiuiis inſaniunt: tempori enim inſeruiendum ijs, qui nundum & temporalia quærunt.

LIII. Præſente Principe pauca loquatur aulicus, eaque ſibi optimè nota, & loco, tempori, perſonis idonea, & ita libertati in æſtimabili valedicat: quæ poteſtate gratior eſt.

O bona libertas precio precioſior omni
O ſummum primumq́; decus, qua prorſus ademta.
Nil gratum nil dulce viris & viuere mors eſt.

LIV. Princeps ſi aulico varia negotia vel vnius negotii varia capita commiſerit: Tria enim ſimitu inquit Plautus, in aula agenda ſunt, omnia ſcripta conſignet, addita mente Principis & diſtinctè propoſita repetat, eo pacto multa mala effugere licet: ſæpius practicatum.

LV. Sermones ab ipſo Principe in menſa vel conſilio aut aliis prolatos attentè & arrectis auribus percipiat: Qui enim hoc etiam inter priuatos negligunt cenſentur eos qui loquuntur, parui facere: Auditor verò attentus præter beneuolentiam, etiam iudicii opinionem adquirit:

Principes enim obſeruant aulicorum ſermonem, vt Artaxerxes Nehemiæ.

LVI. Aulici adulatores vafri verſuti caſſiodicum nodum amantes hiſce adijciunt, geſtus ac externa ſigna quibus probent vel improbent exprimendam attentionem. Niſi princeps ſit Midas habens aures Aſininas non poteſt aliter facere quin acerrimè oderit ſcurrilem imprudentiã. Vir bonus inprimis Conſiliarius debitâ reuerentiâ quod conſiſtere nequit, refutare, ac ſi Reipub. conduxerit verum quod eſt confirmare debet. Licet plus verbis Iſaiæ tribuãt: *Loquimini nobis placentia & blanda*. Amos, *tempus malum* dicebat, *in* quo non licet dicere veritatem.

LVII. Aulicus ita ſe Principum voluntati accommodet, ne tamen a ſtantium aſpernetur iudicia. Ridiculi enim ſunt qui Principum abſurdiſſima probant, aſſcriptitij glebæ & inepti ad alias aulas: qui tamen dum principem laudant & adulationibus fouent, impotem mentis efficiũt: Si ſubito reſpexeris, aut ciconiarum deprælhendes more poſt curuare, aut manu illum auriculas aſini agitare obliquum curſum peragere.

LVIII. Aulicus ne ſe inſinuet in Principis penitiorem familiaritatem, vt eo pacto dominatum affectet & obtineat: eam enim ſuſpitionem non poſſunt effugere qui ſolis ac ſeparatis Principibus adſunt. Princeps qui ſolos cupiunt affectuum & cupiditatum executores, conducunt, felices in hac, miſerrimos in futura vita. Factum quod eſt, nouit Homero teſte etiam ſtultus. Tralatitium ſcoticum prouerbium, à præſtantiſſimo Barclajo relatum, *Te narrar the* Konnigk *The narrarde VVidde:*

Id eſt.

Que quis propinquior Regi, Eò propinquior patibulo: ſi non in hoc tamen in futuro ſeculo, vel pennatos pedes & alas aſſumere cogitur mortuo Principe.

LIX. Aulicus fideliter quæ propriæ vocationis sunt expediat, solertiam, industriam, fidem, taciturnitatem quę ex sententia Valerij primum ac tutissimum rerum gerendarum vinculum dicitur, studium veritatis, candorem, alienum ab assentationibus animum probè omnibus demonstret, neque ingerat se vllis deliberationibus vel negotiis alienis à vocatione propria: in actionibus enim occultis detegimur tandem imo oculis subijcimur ferè nudi.

LX. Aulicus cõsultus & interrogatus, loco & tẽpore syncerè, masculè, grauiter absq; timore ad proposita, & nõ aliena à vocatione respõdeat: ad vana futilia & animos adulatorũ oblectatura ne declinet. Altius sit animus in aulico. *Dic & saluasti animã.* Sed hic aulicus Phenice rarior. *Quomodo possim hoc malũ facere & peccare in Dominũ meũ?* Sed inanis doctrina, si aulico aditus nõ cõceditur & Principi auris obstruitur ô perniciosa surditas: Qui enim vnũ tantũ eligũt cui omnia sine exceptione committant: in hunc finem faciunt vt habeant cupiditatum ministrum, per quem iniqua peragant, & nummos colligant: Exempla in Historiis omnium gentium varia imo innumerabilia quod probant.

LXI. Aulicum timidum nimis non facilè assumendum in Consiliarium aulicum, prudentes existimant.

LXII. Qui enim tali ingenio homo est, Pisandro & Epeo timidior, vt veritatem, spe certa & incerta lucri, honoris, gratiæ, liberè profari, totusque formidolosus, quasi virilitate amissâ, nihil in lucem, proferre audeat, hunc potius proditorem vel homicidam, cum Melanthone, summo viro (quem ineptè & insulsè, Bonamicus & Lipsius latinè loqui incepisse & tentasse, scribunt, Gazam forsan secuti qui S. Hieronymum Ciceronianum, negauit) quam Consiliarium dixeris:]

LXIII. Aulicum etiam fugiat Princeps, modò togatũ

modò palliatum, inconstantem, lubricæ fidei, diuersarumque partium, vtantur tali, sed non ament talem veri principes: Veritatem plerique aulici inquirunt, non vt eâ vtantur, sed vt fugiant, Temerarii imprimis, cum non minus temeritas, in consiliario, quam Imperatore belli, vituperetur: cum finis & exitus belli, vitæ, litis, ac consiliorum sit dubius ac incertus.

LXIV. Quod tamen dicimus, constanter ac mascu'è veritatem proferendam; ita accipimus: ne inani jactatione famam, fatumque prouocent: Veritas enim sine gratiâ, est amara & onerosa, gratia sine virtute dissoluta *Chitroppotira, rompe.* Necesse ergo est, vt prudens sit, qui seruire veritati, eamque promouere cogitat: Exemplum nobis præbuit Nathan Dauidem in viam veritatis ducens sapiens mulier.

Franges corda Ducum, si cesseris aspera reddes,
Si nimium contra, quam decet ire voles.

Dura, vt fulmina frangunt: mollibus parcunt Duces: Nihil enim stolidius illis, qui etsi sunt miseri & prostrati, tamen præcibus audent inserere dicta superba & insolentia.

LXV.

Nuda à præsidiis, ego virgo ministro Leoni
Danda opera est magnis, sed comitante metu:
Danda opera est magnis, sed non cum vulnere mentis.

LXVI. Et assuescat quantum potest malis: & quam diu hæret in aula det operam Principibus fideliter, viriliter saluâ conscientiâ subiectissime.

—— Scaliger:

Præsenti animo compositus perfer & insta
Assuesce malis, quo domites necessitates:
Non te mala lædent, nisi te ea lædere dicas
Aduersa acuunt magnanimum, prospera mollem

Labor ipse laborem abdicat & dolor dolorem.

LXXII.

Suiq; Dominus semper maneat.
Te te capere, effundere te, patiq; disce,
Te cogere, laxare, repastinare, sic te
Cogens neq; cogis, neq; cogeris coactus.

Necessitas fortiter ferre docet consuetudo facile, docente Seneca.

LXVIII. Recte quippe Westphali antiqui dixerunt: **De alle dinck wil wreken** / *manu bellatoria Sampsonis* **macht soll em entbreken** / *nec erit victoria* **Liedt schwigen lehrt di seluest breken** / *sic vinces cum gloria* quod in curia Lippiensi legitur.

Quamobem cholericos ad aulam sectandam idoneos non esse, Gueuara dicebat: illi enim multa pati coguntur, & exiguam vindictam exercere possunt: alias quo ad Principes, aptissimos tradunt: nihil enim simulant, Melancholici premunt.

LXIX. Cum vero miserabilis sit aulicorum conditio, imprimis si post maxima pericula, & labores, domi & foris exanthlatos, tandem fraude, & calumniis scelestissimorum, & impudico rabulæ, & canis curiarum ore debent cadere, bene sibi prospiciant aulici, in exordio cum Principibus contrahentes & formam obligationis, amicis in aliis ‹‹
regionibus degentibus, vel liberę Reipub. tradant, ne tem- ‹‹
pore necessitatis (vt fieri solet) repetatur & probationis ‹‹
materia auferatur. ‹‹

LXX. Aulicus noster videns bonos virtutis & veritatis studiosos viros, à DEO ex hac ærumnosa vita & aula euocari, vi ac iniuste, contra leges opprimi, interfici, homines ad religionem cogi, scelera impune abire, sine præmio merita consilia recta, sperni, vnius arbitrio, vel multorum improborum nutu, omnia Principe nihil intelligente, geri, scelestos homines ad sum̄a

vocari. Aſinum inter ſydera collocari, leges pro libitu poni, ſuperiorum conſtitutiones negligi homicidii pœnam ſemper in extraordinariam mutari. Res abſque appellatione definiri: hoc eſt, mulctas tributa exigi, & compendia, ſub ſpecie iuſtitiæ imaginariæ exerceri, ne dubitet imperium ruiturum & mutationem ſecuturam, imprimis, ſi pœna impendens, contemnatur.

Pœna eſt pœnæ contemptus,
Eſt proprior ſi quem pœna Deusq́; mouet.

LXXI. Cum Principes, vt plurimum libertatem dicendi ferre non poſſint, neq́; velint, & rarò veritatem audiant, & vindictâ, libera vota corrigant mirum non eſt, plerumque deeſſe, qui illos ex animo, & ſyncerè moneant, cũ P. Camerario referente, perpauci inueniantur, vel propè nulli, qui ipſos, ac non fortunæ ſplendorem, & ſuas commoditates ſequantur, tueantur: Imprimis, ab aulis longè remoti, ac in aliis Regionibus habitantes. Diſtantibus enim terrarum ſpaciis, poſt res, vt Tacitus loquitur, adferũtur conſilia.

LXXII. Aulici itaque timidi, & ſi ij, qui loqui poſſunt, tacent, dum ipſis interdum malis parcunt, nec volunt vim apertæ promere veritatis, *ne faciant eos ingeſta acrius veritate peiores:* vt Saluianus diſſerit. *Pauidis conſilia ſemper in incerto ſunt:* Tacito teſte.

LXXIII. Et hinc euertuntur Regna, Ducatus & Reſpub. iudicia corrumpuntur, iuſtitia conſtupratur, leges fiunt meretrices, vaſtantur pauperes, viduæ gemunt, ſubditi flent, orphani proculcantur, nobiles ad paupertatẽ redacti, ad alios fugiunt, diſcrepantes fide, diſcrepantes lingua: malunt enim pati extrema, quam iniuſtitiam ſæuientem, quam ſub ſpecie libertatis ſerui & captiui; & hæc omnia ex intempeſtiuo Aulici ſilentio: & pacto inito inter aulicos, & iuramento confirmato, proh dolor vſitato. Tu

tamen

tamen contra Platonem dicas: *iudicem semper metuendum & tamen liberè orandum*, non tamen absque modo: Ioab rectè reprehendebat Dauidem, mortem deplorantem Absolonis. Sed nimis acerbè.

LXXIV. Non nunc primum cantillant, sed antiquissimum laudant versiculum:

Non mihi sit seruus, Medicus, Propheta, Sacerdos.

Acceptus tamen erat Daniel, minus grata Regi dicens. *Sed odi*, inquit Achab de Propheta Michæa, *quia bonum mihi non prophetat, sed semper malum.*

LXXV. Optimus Consiliarius ille est, authore Halycarnassæo, qui non priuatis inimicitiis impulsus aut gratiâ, vel lucro priuato adductus: Sed gloriâ diuinâ, & publicâ vtilitate & veritate, commotus, suam sententiam dicit ex præteritis, rerum futurarum exempla sumens. Cum nihil sit noui sub sole, & cunctis eadem sint fuerint & erunt.

LXXVI. Bonus Consiliarius aulicus, non debet celare veritatem. Patriæ & Principi vtilem etiamsi, in periculum vitæ inciderit: Ioab dissuadebat numerationem subditorum, sed præualente sermone Dauidis, nihilominus numerabat. Ionathan etiam patri aduersatur non solum testimonio sed etiam alijs officiis defendit innocentiam Dauidis. Melius enim est, & laudabilius, perdere vitam, quam supprimere salubre consilium, & mortuum veracem plus diligit Princeps, quam adulatorem viuum: & hæredibus mortui, compensabit iustus & prudens Princeps, tum ipse Deus:

Nempe probè factis, nunquam sua præmia desunt
Et quamuis veniant tarda tamen veniunt.

LXXVII. Aulicus, qui pro actuosa virtute & successu grauissimarum actionum fauores humanos, ac magnas opes, exigit rem magni meriti, vili pretio, vt S. Gregorius

loquitur, venalem habet & portat; DEVS sit præmium tuum & seminis tui. Et nimis auarus est, cui hæc tanta merces non satis est: in facto enim non tanta laus est, ac in eo quemadmodum fiat. Nam merita è cœlo impendit DEVS author in omnes: Et nulli officium pietatis, defuit, unquam præcium non solutum à Rege Sodomæ Abrahamo: Deus immensum tribuebat.

Felicem sciui, non qui quod vellet haberet
Sed qui per fatum, non data non cuperet.
Non ideo gaudebis equo, si feceris æquum,
AEquum qui faciunt, his malè currit equus.
AEqui hostes vectantur equis, pedes ambulat æquus,
Ergo sperne æquum, ne tibi desit equus.

LXXVIII. Audi, quid in aurem Aulicis, Seneca: *Nemo eorum, qui in Aula ac Republ. versantur, quos vincit, sed à quibus vincatur, aspicit, & illis, non tam jucundum est, multos post se videre quam iniucundum aliquem ante se.*

LXXIX. *Curam* potius *habeat* cum Salomone, *de bono nomine: hoc enim magis manebit, quam magni thesauri & pretiosi:* pretiosa pecunia, quæ vsu largiendi desinit possideri.

Ah miser est, qui quærit opes famamq; relinquit
Quæris opes aliis, postuma fama tua est.

Aulicis & Principibus, præcipua rerum, ad famam dirigenda esse, Tacitus censet. Sed vix reperies inter aulicos Pharisæum, dicentem:

Non sum sicuti cæteri homines.

LXXX. Consiliarii improbum fœnus, & improbas artes exercentes, supraque vsuras annuas, pro nuda numeratione honoraria, margaritas catenas & similia loco pecuniæ petentes: multas labes, & corruptiones invehunt, in regiones: Remoueantur, priuentur dignitate &

officio: lædunt non tantum proximum, ſed ſcandalum præbent ſubditis, & authoritatem Principis euertunt: volunt eſſe quod non ſunt. Boni viri.

Ergò.

Neglige præſentes fructus, & conſule famæ
Mortale eſt corpus fama perennis erit.

LXXXI. Bonum aulicum Conſiliarium, nec tempus immutat, nec rumpit neceſſitas, nec inſolentia exulcerat, nec improbitas malorum hominũ defatigat, ſed cum Socrate, ſemper idem manet. Vell. Paterculo teſte, *Vir virtute eximus aliquando fortuna, ſemper animo maximus eſt.*

LXXXII. Conſiliarius aulicus, aſſeuat & tueatur in conſilio exertam veritatem, & pugnet pro ea vel ſolus vel cum aliis, & conſilium non petitum det: iuramentum ſi præſtiterit, vt verior habet prudentum ſentẽtia: Priſcum Heluidium, qui maluit mori, quam veritatem ſupprimere ſecutus. Licet hominum, in rebus gerendis, ſententias, nihil ferè minus fatum, quam calculos fluuiorum limus obruat. Stoicus dicebat ſententiam ſapientem nunquam mutare imo ſapiens mutat, meliori audita: melius enim eſt, Luciano teſte, recurrere in medio curſu, quam male currere. Vrgere ſemper debet Conſiliarius, vt author conſilii, ad effectum ducat conſilium: Nemo enim Ioſepho teſte, magis idoneus ad conſilium exequẽdum, quam ipſius author.

LXXXIII. Aulici conſilia, debent eſſe vera, fidelia, amica, honeſta, accommodata, profecta, non ab affectu & perturbatione aliqua: Conſiliũ tamen miſericors venia dignum eſſe ſolet, non etiam neceſſitudinis aut familiaritatis gratia datum. Et verum conſilium dare, eſt eorum, quæ inter homines ſunt, diuiniſſimũ. Qui tamẽ cõſiliarii, in improuiſa mala incidũt, digni ſunt cõmiſeratione, qui verò in apertũ crimẽ ſe cõijciũt, exprobationib. & maledictis inceſſuntur. Ariſtides conſilium Themiſtoclis

vtile noluerit probare honestum simul requirens. Achitophelis consilium erat Absoloni vtile, sed non honestum. struunt Epati suo malum qui alteri malum.

Vanior est vano, ventosa potentia Regum,
Quæ leuior fumi, mobilitate fugit.
Vana magis vitro, quæ fracta repente fatiscens,
Stare diu nimiis viribus, vsua nequit:
Quando graues ictus suspensa minatur ab alto
Arduo mox casu præcipitante ruit.

LXXXV. Potentiam & iniuriam si iustè timet: impetret summi Principis protectionem, qua munitus, efficere poterit, vt ordine iuris agatur.

LXXXVI. In aula periculosum est, dicere veritatem, maxime, in ijs rebus, quas Princeps prudens, discernensque fideles ab infidelibus Consiliariis, & diiudicans, quæ sit in contrariis sententiis potior constituit aggredi, & quas tanquam vtiles & honestas, probat; nam si fœliciter successerint, amittit aulicus authoritatem & gratiam: si tacuerit, & consilia finem non sortiantur optatum, tanquam perfidus accusatur. Consultius itaque semper viriliter dicere sententiam, quam tacere, & hos fidos consiliarios, sceptrum Regium verissimum Xenephon vocat.

LXXXVII. Non enim ad horæ momenta dicere sententiam debet: Verum ita, vt post mortem Principis, eam tueri & patris cōsilia, post multos annos, liberi defendere possint: Paucis enim natus est, qui consilia ætatis suæ tantum cogitat. Si in diuersas sententias, sunt secti consiliarii, nihil eorū, de quibus deliberatur, peragitur & vnusquisque ad rem gerendam, negligentius accedit. Pluribus itaque accedat Princeps.

LXXXVIII. Quamuis stultissima Consilia, etiam in aulis ad tempus, felicem sortiantur exitum: tamen prudens aulicus, nihil temere, nihil inconsiderate agere, sed

vnaquaque in re, rationum pondera & momenta pensiculare, quidque rerum, locorum, personarum, temporũ proprietas & varietas postulat, ad amussim diiudicare debet. Polybio enim differente, illi, qui circa res gerendas versantur, omni prorsus commoditate carent, nisi & loci, & temporis, & causarum, & occasionum omnium conditio illis constet.

LXXXIX. Aulicus, primum proferens votum in publicis deliberationibus, caueat, ne ille feli statim primus tintinabulum appendeat: difficilis enim est, & periculosa, in omnibus actionibus, prima vox: Prudentiori subsecuto adhæreat, eique cedat. Bonarum mentium est, Homero teste, *Illiad.1.* mutare in melius sententiam, ita tamen.

Ne consiliis alterius regi recuses.
Esto illius, atque esto tuus, tuumq; serua,
In posse tuo velle, modum in velle alieno.

Vbi tamen festinandum, ibi non mutandum: Nullus enim cunctationi locus, in eo consilio, quod non potest laudari, nisi peractum, Tacito authore. *Satis celeriter fit quicquid commode geritur.* Reperiuntur aulici nuncii qui informantur studiosè, vt quem sciunt communi voto contradicturum, admoneant ne omnibus reliquis in gratiam principis dicentibus sententiam, repugnet. *Sit sermo tuus similis eorum qui vno ore Regi bona prædicant: & loquere bona*: sed talis cum Michæa viriliter respondeat *viuit Dominus, quodcunque dixerit mihi Dominus: Loquar*: Quam multi in aulis inueniuntur Eunuchi misti ad viros bonos magna blandiloquentia instructi dicentes. Fuisti hactenus Regi propter nimiam pertinaciam in dicendis sententiis inuisus: Sed iam muta mores, nec te seiunge à maiore partis suffragiis, quæ non aberrat à scopo veritatis.

XC. Consiliarius accurrate obseruet, an ingenioso & iudicioso, vel simplici Principi consilium proponat:

huic, si proposuerit, caueat ne multas & rationes subtiles, adducat, Principemq; confundat, & iustam ac necessariã executionem impediat; cum ex sententia Demosthenis, multitudo rationũ, hebetiores intricet: Illi, si dederit, quas potest stringentes & peremptorias simul adducat, & applicandus lapis amussi, non ad lapidem amussis.

XCI. Aulicus, nunquam diuinæ veritati, Principis, præferat.

Dum placeas Christo, facilis iactura Potentum est,
Latius imperium, Cæsare Christus habet.

—— Item Fridericus Widebramus,

Terra fremat, regna alta crepent, ruat orcus & orbis,
Cui Comes est Christus, nulla ruina nocet.

—— Item.

Aura tonet, sonet vnda, fremat orbis & orcus,
Tu tamen insertos nos tibi Christe, teges.

XCII. Aulicus Consiliarius, apertus in rebus periculosis & grauibus aperte in causas descendere, nec huc vel illuc interpretationem trahere, vel incerta differere, prout conducit, sed Scapham Scapham appellare, nec nugari, nec calumniari nec adulari debet, versutissimorum votum sine honore ac pondere hinc inde vagatur, in non causa vt causa consistens, Xenophonte teste.

XCIII. Aulicus ingressus aulam, discordias inter aulicos deprehendens, nulli adhæreat parti, & se neutralem conseruet, vel eligat illum, qui maiori prdentiâ, vel firmioribus fundamentis, nititur. Nam hic æmuli potentiam facile franget, & ipso iure, quamuis regulariter neutralitas sit fugienda.

La neutralita non assicura de nemici
Et questa non conserua gli amigi.

In neutralitate mature à rectis in vitia, à vitiis, in praua, à prauis in præci pitia, peruenitur.

XCIV. Au-

XCIV. Aulici oculati esse debent,& nunquam sine suspicione degere,ne facile cuiquam credere,quantumuis in speciem amico nec arridenti nec complexanti, nec vt ait Erasmus deieranti: sint in hoc bello aulico semper excubiæ & vigiles.

XCV.

Fide parum,multumq́ vide,nam videre multum
Et vidisse parum,maxima damna parit.
Fide,sed absq́ vide,nulli iam fidere tutum,
Ante retroq́ vide,ne capiare fide.

N. ab Hanstein.

XCVI.

Lepide Scaliger:

Clarissima sententia:. Confidere paucis
Sed clarior est illa: Confidere nulli.

Isaias Propheta in genere dicebat idem: tum Syrach,
Errat in aula qui quærit amicum
—— Lepide Plautus

In melle,sunt linguæ sitæ vestræ atq́ orationes
Corda felle sunt sita,atq́ acerbo aceto.

XCVII. Inter ipsos aularum ministros,ambitio vesana & calumnia furiosa, non sinit amicitias coalescere iuratas testem Ioab & Abner *Vulpinenis cum vulpe.*

XCVIII. Homo licet sit rationabilis & nobilis creatura magni ingenii,summa, naturali desiderio,appetens, eique non sit prohibitum, ratione dignitatis originalis, primæque perfectionis,altissima petere: tamen in quacunque aula vixeris,noli summa nec infima ambire, in medio tutissimus ibis. Potius ad summum vel imum,quam in summo vel imo: extrema caue.

—— *Mediis tranquilla triumphant.*
Si sapis affectes mediocria,summa periclis
Obuia,contemptum sordida vita parit.

Item

Qui sapis, alta fuge, aut timide vtere luce potentum
Concidit in puncto, gratia longa breui.
Qui petit alta cadit. proprie tu in pelle quiesce
Contentus modico, qui tenet, ima, manet.

XCIX. Magna quippe virtus est, magna contemnere, & mediocria malle, quam nimia: Et Aristoteles, mediocrem fortunam, magis, quam amplam, à communibus huius vitæ iniuriis tutam esse existimat. Modicis rebus, longius æuum est. Exempla ne requiras, sed quæras.

C. Aulicus nulli noceat, omnibus prosit, non deferat quenquam, nec odio cuiusque Principem inflammet, nec iratos & commotos, exacerbet, placet eos inimicis, nõ obtrectet dignitati cuiusquam prosperitatem fortunæ, inuideat nemini, non lætetur calamitatibus alterius.

CI. Aulici in excelso loco positi, & status huius turbines, atque procellas experti, priuatam vitam, publicę vel prætulerunt, vel optarunt, vel amissam doluerunt.

—— Seneca in Octauianum:

Quid me potens fortuna fallaci mihi
Blandita vultu, sorte contentum mea
Alte extulisti? grauius vt ruerem edita
Receptus arce, totq; perspicerem metus?
Melius latebam, procul in inuidiæ malis
Remotus inter Corsici rupes maris;
Vbi liber animus est sui iuris, & mihi
Semper vacabant studia recolentia mea.

CII. Aulicus ne det operam ambitiosis salutationibus, ad Principem Germanum: nam, qui propria dignitate eminent, salutationes istas non valdè requirunt, neq; omissas vitio vertunt. Princeps verò, si aulicum nudè, nullo addito eorum quos moris habebat, titulo nominat, mu-

tasse

tasse animum verisimile est : Tiberij exemplo aduersus Sejanum.

CIII. Qui in arduis negotiis expediendis, cum magnis Principibus versantur, similes sunt per prærupta repentibus semper timent, sæpe titubant, & subito corruunt Glacies ad cadendum. "
"
"

Hic itaque

Contra Rhodanum ne stolide natare tentes
Contra Boream, ne temere flare ruentem
Contra pelagi strepitum clamare tumultum
Contra ensiferum, rabie certare Tyrannum

inquit Scaliger.

Durum est tibi, contra stimulum recalcitrare: Inprimis in re exigua: insanum enim est ob res leues subire periculum, Appiano authore. Si fieri potest vt pariter Deo & Principi placeamus, bene est: & placendum Principibus: si autem aliter non placemus Principibus nisi Deo displiceamus: Deo magis quam Principi placere debemus. Rides malitiose aulice. "
"

CIV. Aulici stulti sunt, qui opinantur, existimationem, saluam esse non posse, nisi in illorum manibus negotia arcana recumbant: si aliorum exemplo saperent, imprimis arcana negotia fugerent, nudis libellis supplicibus expediendis contenti, & in actis legendis, & sententiis concipiendis occupati, adhibiti grauioribus, raro fœlicem & perpetuum cursum, etiam prudentissimi, etiam inuicem iuramentis, vt hodie fit obstricti, apud magnos Principes, experto teste sortiti sunt: vt & illi qui primas, apud Principem omni arte, quærunt: non angat te primatus, cogita enim, quâ oneretur inuidia, quæ curæ pectus percoquant, & an non satius sit, apud Deum, quam potentissimos Reges, summo loco sedere, vbi munus, sine onere honor sine

inuidia, fauor sine suspicione, adquiritur & retinetur.

CV. Verum si fateri volumus, nullus est in aula angulus, in quo tutò queas quiescere, hoc tam deplorato rerum statu. Quamobrem nec iustitiarii ministri, in aula sunt felices, vel illi, vt rectius loquar, qui iuri dicendo, & iustitiæ administrandæ vacant & præsunt.

CVI. Si enim, secundum leges & constitutiones decernere lites, & pronunciare volueris, & Principum affectum, & iussiones sequi, nolueris, & Principi contradicere, tum propriis collegis volueris, conflabis tibi Principum ac reliquorũ odium, inuidiam, maleuolentiam, & inde tibi minæ & euersiones erunt in insidiis, imo in ianuis Robertus loquitur.

CVII. Si malè, & contra leges quicq̃ cõmiseris, in gratiã Principũ vel ꝓcerum, vel popularis auræ, diuini numinis irã in te cõcitabis, ac conscientiã tibi vt loquitur Mornæus,
„ carnificẽ constitues, & nõ effugies Gehennã. Hinc Bias ve-
„ rè dixit, se malle inter duos, sibi planè inimicos, litigiũ de-
„ cidere, q̃ inter amicos: Quis enim perdidit vnquam litem, & bene locutus est de iudice vel necesse est vt fias Bunas iudex: hoc est nunquã de lite pronuncies? Sed tu nulli parcas, vt soli parcas animæ, & potius sis, vas electionis, q̃ olla, aulæ, in qua conquũtur & recoquuntur, insulsa, iniusta Decreta: & sub iustitiæ titulo aliquando exercentur iniusta compendia. Syracide monente *sententias absque timore pronuncies*.

CVII. Relinquas itaq; aulam, & permutes cũ villico vestem, licet nec eo pacto, imo nec inter syluas, nemora ac feras, tutus sis: vel iuris prudentia instructus quæras supremã Curiam, in Germania, in qua tuto prudentiam, & iustitiã exercebis, vel in inferioribus iudiciis, ad diuina præcepta, & dignam vocem, legum te componas, etiamsi expectãda

ſint, mille mundi pericula, & innumera incommoda. Non enim minus Heroicum, & præclarum eſt, pro iuſtitia, quã fide, pati, & mori. Sed multi homines ſunt: authore Herodoto, *Pauci Viri*.

CIX. Corriges te ipſum, eo modo, & ſuſtine bis publica, quibus maiora forſan priuatus ſuſtineres, alium verò vix meliorem reddes. Voluntas, ad laborem & patientiam propenſa cuncta vincere, ac ſuperare conſueuit, ſi Polyæno credis.

CX. Quemadmodũ enim peſtis graſſantis, tempore contagione morbos diuolgante centũ homines vel Medici moriũtur, anteq̃ vnus liberetur: ita mille hic: Cõcluſio itaque certior, vt probi ſe lõgiſſimè ſubducãt, & purũ aërem, hoc eſt, vitam priuatam, q̃rant. Quod verò Gueuara putat, conſultum non eſſe, relictâ aulâ, ſe cõferre, in villam, id dictum credimus, de aulis mediocriter conſtitutis.

CXI. Inprimis videat aulicus, ne, niſi coactus mandatis & iuſſionibus ſe immiſceat, Principũ fœderibus, bellis, matrimoniis & arcanis ſolus. Experientia enim teſtatur, proxenetas nuptiarum, & fœderum arcana, aliis excluſis, tractantes, in ingens diſcrimen, felici ſucceſſu non ſecuto, vel Domino mortuo, coniectos eſſe, inprimis, ſi lucrum, vt fit in aulis, captârint.

CXII. Aulicus, cautus ſit, ne Princeps animaduertat, ꝙ velit Principe, prudentior haberi & eſſe. Princeps enim licet amet homines, qui ſint negotiis pares, tamen exẽplo Saulis non fert libenter, qui ſe ipſo doctrinâ & experientiâ in rebus ciuilibus præſtantiores cenſentur: corrigunt enim ſæpè non intellecta Dauidem à Saule remotum. Dædalum ob ſapientiam à Minoe captum, Palamedem propter ſapientiam, Vliſſem inuidia periiſſe, ſcribit Xenophon. "
Beati itaque rudes: quoniam Aſini Domini vocabuntur & "
poſſidebunt terram.

CXIII. Luna inquit Lipſius eſto, & quicquid eſt gloria prudentiægratiæ,opum , refunde illi ſoli Principi ſcilicet: didicerat Ioab victoriam Dauidi tribuens: cum ſit conditio Principum, vt tantum aduerſos caſus aulicis, ſecũdos fortunæ ſuæ tribuant, feliciter non ſuccedentia in miniſtros, reiiciant.

CXIV. Contemptus, quamuis quandoque contẽni debeat tamẽ, cum diminutione, exiſtimationis acquiſitæ, ne ſeruiat, ne contemptũ patiatur, vel docente Apoſtolo Paulo. In Legato contemtus eſt argumentum maximarum irarum: potentum Legati ſapienter & interpide contemnenti reſpondere, infirmiorum obſecundare debent, & molliſſimam occaſionem fundi expectare.

CXV. Quemadmodum Principis ſalus priuatorũ dicitur: ita authoritas & dignitas Cõſiliariorũ Principis dignitas non iniuria cẽſetur; fieri enim non poteſt vt magnifiat Princeps, cuius conſiliarii, contemnuntur: Si enim digni ſunt honore , contemni non debent, ſi non digni, tales cur retinet. Cõtemnit ſi vnum ſolum altero excluſo audit, Dauid audiebat non tantum Achitophel verum etiam Cuſai.

CXVI. Cordati & graues aulici , nunquam ita ſe dimittere debent, vt approbent ſententias ſeruiles, nec formidare Principis iram, quo minus, quæ recte ſentiunt, libere dicant: Blande ſupplicare, non decet eos, qui iuſta dicũt: Villa non patitur, inquies.

CXVII. *Melius* enim *eſt*, ex ſententia Suſannæ, *in manus hominum incidere , quam peccare , in conſpectu Domini.* Moyſes Deum timebat, veritatem non ſupprimebat, nec Iohannes.

CXVIII. Fridericus Imperator , optabat vt aulici conſiliarii, iudicaturi, de rebus propoſitis, duas res ante Palatium, in veſtibulo deponerent: Simulationem & diſſimu-

lationem

lationem. Quod innuit quoque inſciptio, in Curia Ratisbonenſi, quæ extat in tabula marmorea aureis literis, & docent prudentiſſimi Veneti, illuſtri exemplo, alios, qui ſolent ante veſtibulum curiæ, priuatos affectus, apud S. Marcum, deponere, eo pacto recipiunt conſilia, ſpiritum & ſanguinem.

CXIX. Quamuis aulicus conſiliarius, propter virtutem, ingenium, eloquentiam, & gratiam, Principi ſit acceptus: tamen nunquam irrideat alios, nec ſeipſum admiretur, ne inde ſibi interitum acceleret, quem non vni hanc ob cauſam contigiſſe ſcimus viris alioquin bonis:

Plus dimidio fallitur exciditq; vero,
Mirans ſua ſoli comparans ſeipſum
Philautia nil vnquam mouit boni,
Soli qui ſibi placeat, cæterosq; ſpernat
Is ſi à reliquis ſpernitur, hic vendit emitq;

Cum vel Christo teſte, in aulis ſuperbiæ vitium ſit frequens, quam vſquam terrarum alibi: dicente, aulicos molliter veſtitos, purpura, byſſo, holoſericis: annulis, omnis generis, gemmis: Aulicus ſuperbiam tanquam Diabolum fugiat: Rectè enim Auguſtinus & vere: *Omnium diuinorum voluminum paginas, hanc vbique ſpirare ſententiam: Quod Deus ſuperbis, reſiſtat, humilibus autem det gratiam*, quod Philoſophus approbauit interrogatus, quid Iupiter in cœlo ageret, reſpondens: *ſuperbos ad terram deiicit, & exaltat humiles.* Lateat ſub ſplendida veſte humilis aulicus.

CXX. Humilitatem tamen, cum Principibus, non definimus, adulationem, in omnibus Principis iniuſtis negociis: vt nec ſuperbiam, ſi conſtanter veritatem, etiam cum detrimento rei familiaris, & diminutione gratiæ, defenderit, & prudenter adulatoribus contradixerit.

CXXI. Tenuiſſimus aër ſuperbiæ, per anguſtiſſimas rimulas, tanquam venenum, in animas aulicorũ penetrat,

eorum ſcilicet, qui ſentiunt, aliquam gratiæ, ſcientiæ vel virtutis, ſcintillam vrentem in ſordibus conceptus in ijsdem natus facilè franget, immanem Gigantem, immenſo ſpiritu tumentem ſi adagium antiquum cogruerit, *Noſce teipſum* quo ad opes corpus & animã: Sicut enim nonnulli, ex aulicis vnâ, vini guttulâ, inebriantur & corruunt: Sic in arte orandi, equitandi ſaltandi: digladiandi, exercitati, & opinione vel imaginatione, præſtantes, inflantur, & alios contemnunt. Aulicus tanto vanior, quanto grandior vt fumus in globũ euectus, ſit tibi gratior poteſtate libertas

CXXII. Optimi Aulici, imo mortales, quibus incognitæ ſunt virtutes, quibus ornati ſunt: Si ſimplex fuero, hoc ignorabat anima mea: Virtus enim latens, vt virgo clauſa, à corruptoribus immunior eſt, eo minus ſuperbiæ, & inanis gloriæ furibus, obnoxia. Malim cum Paſchalio ruſticiores, & probiores quam limatiores, & nequiores miniſtros: ſint aulici tales de quibus dici queat. *Verè hic eſt Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Sed hodie dolus in pretio: aſtutia, ac verſutia prudentiæ annumeratur.

CXXIII. Vt fugiat aulicus, & vnuſquiſque mortalium ſuperbiam, non quas habeat virtutes attendat, & quam gratiam in aula acquiſierit, ſed quid ſibi ex omni parte deſit, & qua arte creuerit, conſideret diligenter: minus periculi eſt, ſi ſe improbum improbus agnoſcat, quam vt peſſima quæque palliare conetur.

CXXIV. Magnis mundi miraculis annumerant Phyſici fontem quendam, in quem miſſa accenſa facula extinguatur, contra extincta, accendatur: Sic humiles nudi ad Deum accedentes locupletantur, elato animo præditi, amittunt quod habebant.

CXXV. Omnes Aulici Conſiliarii, qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt, cogitare debent ſedulò, an quod aggrediuntur, Reipub. vtile, Deo gratum, glorioſum Gen-

tibus,

tibus,& promptum effectu,vel certè non arduum sit: Malè itaque egerunt ij,& minus prudēter,qui fuerunt authores Impp: vt efficerent, vt à Danubio in Rhenum nauigaretur. Sic Neroni ac adulatoribus consilium de perfodiēdo Isthmo Corinthiaco non successit, sanguinem enim è terra erupisse,lamēta audita,auditos rugitus, & spectra multa apparuisse Dio scribit. Idem de similibus,vt in Regnis, & Regionibus vicinorum occupandis,iudicium esto: Feliciter tamen in Flandria, & Brabantia simile successit,in Danubio infeliciter & Rheno.

CXXVI. Aulici Consiliarii qui ad diuersas curas,& opiniones trahuntur, & sunt irresoluti in aulis,non magni fiunt: Sint igitur prompti in animi cogitationibus explicandis: & constantes in ijs defendendis.

Ne te instabilem crastina deprehendat hora.
Si consilio sunt sapiente constituta
Mutare alioquin mala destinata virtus.

CXXVII. Consiliarius siue Legatus aulicus,egregia negotia,quæ consensu Principis,& collegarum incipit, debet occultare quousque ad exitum perducta fuerint, alioquin multi moti inuidiâ, ea impedient,vel prudentiæ detrahent,quod non citius finem actioni imposuerit: inferat itaque ictum, antequam sentiat alius. Quod Nehemias probabat scilicet in arduis negotiis aggrediendis silentium obseruandum.

CXXVIII. Prudens Consiliarius efficere debet vt nūquam sine negotiis viuat, nec se socordiæ,& ignauiæ tradat; Ignauis enim,& otiosis iratus etiam Deus est,inprimis si Princeps fuerit laboriosus: Aulici enim sequuntur humores & mores Principum.

Nemo suos: hæc est aulæ natura, potentis
Sed mores Domini, Cæsarianus habet.

CXXIX. *Falsa referre pudet, vera referre nocet:*

inquit ille: At eo non attento, Cōsiliarii qui negotiorum relationi: ex qua Seneca ius oriri dicebat præsunt fideliter referant, & narrent, ne Princeps falsæ relationi credendo multa iniqua mandet, quæ alias non iuberet, & referendarii mendaces dicantur. Quotidianus hospes in aula: Sol sceleratis oritur, & Piratis maria patent.

CXXX. Cuncta, inquit Tacitus ad Imperatorem in mollius relata: quod obseruent omnes aulici neque addant in referendo igni oleum: Sed in melius, & mollius & caute ac lente, quamuis laudabilis sit quandoque festinatio: tamen maturitas grata, quæ Delphinum ancoræ suæ iungat.

CXXXI. In magnis negotiis, & deliberationibus, ꝙ obesse & nihil prodesse potest silentio debet inuoluere prudens Consiliarius: eo enim casu oratorium est tacere.

Grauis iactura loquela est.

CXXXII. Consiliarius aulicus summopere curet, ne neglecto Principe, vel consensu eius excluso, quicquam etiam vtiliter gerat, inprimis si longè non abfuerit, alioquin tanquam contemptus offenditur. Itaque minus barbare egit Mahometes Visir primus trium Ottomannorum Consiliarius, qui etiam rem minimam, quamuis se id facere posse certo sciret, inscio Principe determinare noluit: Hinc Albanus dicebat se catenis, & compedibus Regis vinctum adquirere Regna. Docuit te Ioseph longè an-
,, tè Albanum: is enim Patrem & fratres absque consensu
,, Pharaonis noluit excipere, vel recipere.

CXXXIII. Legatus aulicus, qui idem Consiliarii officio fungi solet(& dicitur, q̃ mandata alterius refert, Legati respōsa ferūt. Legatus in bello diciturq̃ Imperatoris vice fungitur ὕπαρχος, ἀντιστράτηγος, isque fiduciariā operā obtinet, veniente Imperatore cedere eum oportet: Legatio est publica, vel priuata: hæc votiua aut libera: illa mandatur pu-

blico

blico nomine, & publico consilio approbatur, & firmatur) nihil in mandatis propria authoritate, occasione rei melius gerendæ, mutare: sed omnia ad præscriptam Legationis formam referre, vel Principem super noua incidenti causa consulere debet.

CXXXIV. Quod enim iura ciuilia statuunt, mandati fines quandoque licere excedere: si rem commissam plenius & melius expediueris, quam iussus eras: tamen id de rebus priuatis, non etiam publicis recte accipimus: in his enim non vtimur interpretatione: Inde Valerius, *Romanos*, ait, *legationem, quibus acceperant verbis, peregisse*.

CXXXV. Legati, Oratores, Interpretes, nuncii, siue tempore belli, siue pacis, temporarii, siue perpetui, & ordinarii (quos Paschalius ex omni parte non probat) rei dicendæ, vel agendæ causa mittendi, debent explorare suas vires, neqne munus illud, cui se putant impares, subire: Rectè enim Ictus Gajus: *Non videtur iniquum, si infirmitas culpæ annumeretur*, cum affectare quisquam non debeat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem suã aliis periculosam futuram; & nihil super vires tentandum sœpius monet scriptura etiam venustissimo Apologo de Carduo & Cedro: & generaliter, nemo propriæ sapientiæ, aut potentiæ fiducia res periculosas & non necessarias moueat: Dicat, *non ambulaui in magnis neque in mirabilibus super me*: ne post conuiciorum, & contumeliarum plagis excipiatur, vel ad Tarpejum saxum citetur:

Non est beatus ipse qui se nesciat.

CXXXVI. Ergò

Certo modulo te, & tua metire probando,
Ne scande locos è quibus inde sit ruendum:

——— Scaliger:

Ne assumas arma aulica quibus cum Dauide vti nescis. Est namq; grauissima, ac sanctissima persona Legati, cuius

vultum non omnibus licet osculari : Vnde Spartianus Lepitanum suum olim contubernalem fustibus cædi iussit, quod, cum plebejus esset, se amplexus fuisset, & eloqui Præconem præcepit: *Legatum Rom. plebejus amplecti temere noli.*

" CXXXVII. Frustra Geometriæ, & Cosmographiæ o-
" peram dabis, si te metiri nescias Salomone authore : *melius est vt dicatur tibi, ascende huc, quam vt humilieris coram principe:* Condemnatũ nec postera ætas absoluet: Canis digna sede, & pabulo: de quibus & aliis Legatorum requisitis plenè Paschalius, Albericus Gentilis, Hermannus Kirchnerus & alii scripserunt, vt Franciscus le vaier, & Octauius Magius, Poncetus. Multa iure ciuili prolata de Legatis hodiè in desuetudinem abierunt : Olim debitores fisci non proh bebantur legatione fungi, Debitores Reipubl. minimè. Olim pater trium liberorum excusabantur. Sic pater qui filium in legatione habebat Legatus vicarium dare non potuit: nisi pater filium.

CXXXVIII. *Legatos aulicos oportet*, inquit Cominæus *esse homines peritos, & circumspectos, & eo pacto inualescent viribus, consiliis, gratia, & authoritate.* Statuant itaque in omni legatione sub cineribus occultos esse ignes. Sint legati prudentes, veraces, cõstantes, diligentes, astuti, & vertuti absq; dolo: non deflectores, non inhumani, non mendaces, non iniusti, non auari, non obærati, sed statua digni.

CXXXIX. Ablegatus diligenter ad Principem scribat & necessaria, & non necessaria, & in negotiis commissis quid sperandum sit vel non. Et ne literæ pereant, duplicatas transmittat, diuersis viis destinatas, nec tamen res dubias, & incertas pro certis transcribat: & occasionem literarum mittendarum continuet.

CXL. In quem vsum & finem in comitiis Imperii, & conuentibus Principes magni equos dispositos ve-

redarios à Cyro primum institutos, vel tabellarios habent, vt rerum statum tanto citius cognoscant, & in resoluendis dubiis absque mora resolutiones adquirant Legati: insciis tamen collegis nil scribat, etiamsi caput legationis repræsentet: Solo enim ordine non potestate anteit. Quod dicitur Legatum tempore Legationis nihil in rem propriam vel alienam agere posse: intelligendum est de ijs negotiis, quæ anfractus iudicarios exposcũt, quæ verò facilè possunt expediri, & citra legationis impedimentum sopiri, cur nõ susciperet?

CXLI. Principis vnius, vel multorum in comitiis præsentium ingenium, actiones, mores, gestus, omnesq; animi & corporis dotes, tum vitia, animi motus, corporis, ac faciei formam, sermonem vel breuem, vel abruptum aulicus notet, & ad proprium Principem perscribat, inprimis formã gubernationis obseruet, iustitiam nũ curet, verax, auarus, iustus, vel iniustus, gratus, vel ingratus vicinis, cognatis subditis sit: ametur an timeatur, significet, adijciatq; quibus rebus incumbat, quibus ministris vtatur, quam prudentes, boni, iusti sint: in quibus rebus ab officio recedant, vtrum laude verè digni sint, vel vituperio, vtrum opinione, & fama, vel reipsa magni.

CXLII. Et quamuis omnia hic recenseri non possint neque debeant, & variæ de his extent obseruationes: tamẽ Legatus aulicus paucis sciat, omnia notatu digna benè notanda, & referenda: scilicet quam latè pateat regnũ principis, ad quem missus est, quos habeat vicinos, amicos, hostes, quibus à Lateribus offendi, & oppugnari quæat, q̃ maria, q̃ flumina, quos montes, quos lacus, quos portus, q̃ stagna, & paludes, q̃ bonitatẽ solis, quos reditus, nõ ex exactionibus mulctas, sed ordinarios habeat, quibus rebus abundet, quibus careat: quæ sint in regione vrbes, arces munitæ, consuetudines, exercitati Equites, & pedites, q̃ familiæ, ca-

rumque opes: Subditorum, nobilium, ciuium, rusticorum natura, mores, studia, religio, Respublica, Leges, Scholæ, commercia, propugnacula, humanitas, barbaries, delitiæ, argentifodinæ, salinæ, syluæ, piscinæ. Falsa tamen ne addas suadeo, nec pygmæam imponas in Colossum, nec facias muscam Elephantem, nec Sardanapalum Herculem: ne sis Stratocles, qui res prosperas Atheniensibus nunciabat falso, interrogatus cur fecisset, respondit, vt biduum lætiores viuerent: *Naturam populi, quem regere, vel aggredi cupis, noscere prudentis est,* Tacito scribente.

CXLIII. In legato etiam pulchritudinem requiri, imprimis apud barbaros, prudentes existimant: augustissimam enim speciem credebant è cœlo haustam: Censent enim corporis bonam complexionem sequi nobilitatem animæ: Quia omnis forma est proportionata materiæ suæ. Quamuis ingenium fortissimum sub qualibet cute latere possit: tamen in corporum maiestate venerationem esse liquet. Sic Alexander Magnus, despectus à Regina Amazonum traditur, quia nõ eam pulchritudinem in maximo illo Rege reperisset, cuius ingentis rerum gestarum famæ rumor e percita ad ipsum venerat. Seneca negabat Claudium fieri posse Deum, quod corpore fuerit à Diuina maiestate alieno. Deus tamen pulchritudinem corporis non requirit, sed animi generositatem: habens cense eam, tanquam amissurus, amittens, sicut habeas: Duritiem corporis, & vigorem membrorum ante omnia Legatus habeat.

CXLIV. Sic Cato Stoicus in Legatos populi Romani jocatus fuisse legitur, quorum vnus lapide quodam in caput percussus, fœdas cicatrices præferebat, alter pedibus laborabat, di cens: *Mittit populus Romanus legationem, quæ nec cor, nec caput, nec pedes habet.*

Plus

Plus in amore valet virtus quam forma caduca,
Virtute & forma conciliatur amor.

Et Claudum ad munia non admissum refert Halycarnassus.

CXLV. Aulicus Legatus ita peragat legationes, ac omnes actiones instituat, ne homines dicant Legato deesse os, hoc est talem esse, quem nihil pudeat. Probare itaque Legati amici nostri jocum non possumus, qui ebrius à Principe ebrio stultus vocatus, respondebat: *rectè vocari stultum, esse quoq́ ebrium egregium stultum: At Principem istum esse & sobrium, & ebrium semper stultum.* Non decet hoc.

CXLVI. Absit procacitas, petulantia: vitet superbiã verborum, quam prudentes irrident, iracundi odio habẽt: Libertate tamen legitima vtatur modesta, ne cum Xerxis legatis à Lacædemoniis in barathrum, & puteos præcipitetur, vel cum Cæsare ab Antonio cædatur, vel à Basilide clauis pileus capiti affigatur: quandoque tamen confidentia in Legato laudabilis, ac necessaria est, licet cum periculo coniuncta, inprimis si moderatum non tulerit responsum: studiosè melius rogandum, non tamen timide. Docet enim negare, qui timidè rogat.

CXLVII. Legatus in ceremoniis exhibendis ne sit vltra modum superstitiosus. Gentes dextrâ manu labris admotâ, & ad osculum relatâ capite submisso, corpus de trouersum circumagebãt, quod etiam in Germanis Simiis hodie receptum est, cum exiguo grauitatis, & integritatis modo: Abiit enim, & transmigrauit virtus, eruditio, eloquentia in vanas ceremonias & multiloquentiam: Et aulici plerique sunt similes sepulchris dealbatis quæ foris apparent speciosa, intus verò sunt plena omni pudore, spurcitie, & fœtore: aulici rapina, iniquitate pleni.

CXLVIII. Grauis Legatus concinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pellicula fugiat,

de quibus *non benè olet, qui benè semper olet*, dicit Arbiter. Fucum itaque negligat, à nonnullis tamen obseruatum: etiã si in eum pœna à prudentibus sit statuta.

CXLIX. Legatus vt aptus mittatur ante omnia studendum, quamuis multi Principes vix cogitent, quem mittere velint. Sic Ludouicus XI. barbitonsorem Oliuerium Danum fidei expertæ, sed nullius authoritatis misit, alii sartorem. Sic Medicos sæpius de rebus maximis ablegatos refert Procopius, & Theophilus *de legat: Rom. ad Gentes.* Quo nomine quis vocetur, non multum refert, licet & in eo sint superstitiosi, & formidolosa, & turpia ominosa dicant. Hinc Plautus.

Vosmet nunc facite coniecturam cæterum
Quid sit id hominis, cui Lyco nomen siet.

Et hinc Accursius nomen honestum laudat. Inprimis mittant Principibus acceptissimos, modo in ijs eluceant dotes Legatorum. Qui pretio, gratia, & non meritis adepti sunt legationem, vacationẽ non habent, ne cõmoda publica sub vmbratili suffragiorum pactione lacerentur.

CL. Ablegatus probè teneat gentium ad quas mittitur ingenia & mores, & se ijs accommodet, cum Italis Italus, cum Hispanis Hispanus, cum Gallis Gallus, cum Germanis Germanus sit: non tamen eo vsque vt dicat cum Iohanne Basilide amicitiam Regis Stephani ambiente, *tuus Lutherus erit meus Lutherus, & tuus Pontifex erit meus Pontifex*, vel vt Niclotus Rex dicebat, *is Deus qui in cælis est Deuus tuus sit, tu Deus noster sis, & nobis sufficit.*

CLI. Legatus sit celeris ingenii motu præditus, vt argutè, & eleganter proponat, & respondeat, dicat agatq; solerti ingenio ante cogitata, & non cogitata: Sunt enim actiones plerumque tales, quæ tempus ad consultandum non præbent. *Sic currite*, inquit Paulus in spiritualibus, *vt comprehendatis*: Sic in Politicis.

CLII. Con-

CLII. Consiliarius Legatus & orator quamuis facundia excellere debeat, & nomẽ quod habet, re comprobare: tamẽ simplici, nudo à coloribus, figuris, luminibus sermone vti debet: ne deprehẽdant in legato ingeniũ inepte ambitiosum, vel linguam circulatricẽ, vt Paschalius loquitur: Illa enim ratio dicẽdi personæ Principis, cuius nomine mittitur, conuenit. Sermo enim Legati sit sententiarum, & rationum pondere magis, quam elaboratâ dictione illustris: sermo potius q̃ oratio: sermo tamẽ purus sit, fucatus molestus est. Hinc verè Demosthenes monebat Legatũ non tãtum debere afferre verba, sed res ipsas exhibere. Nec tardiloquum nec celerem, nec incitatum. Nec qui leuis in cursibus impotens tui sis, volo te compositum, te iubeo dicere tractim, inquit insignis Philosophus & Orator.

—— Nec minimo sanè discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

CLIII. Oratio itaque solemnis sit expurgatissima, putatissimaque ad naturalem puritatem reducta. Multi quam loqui nesciant, tacere non possunt. Supprimo quæ Rusticus edit ineptus. Det operam Legatus, vt absit etiam orationi acerbæ, insolentia, ac contumelia: ab hac tamen secerno libertatem loquendi quæ, à maleuolis fastus, & tumor nuncupatur.

CLIV. Legatus aulicus teneat linguam illius apud quem legatus est, vt multa incõmoda impediantur. Discat itaq; nobiliores, vt ijs in immutanda oratione, qua prudentes principes delectãtur, vti queat: Latina alioquin bene intellecta, sufficit: nã imprudenter Nicephorus homini impo nit omniũ linguarũ addiscẽdarũ onus: Nec Mithridates linguas XXII. sed idiomata, calluit. Legationẽ peragat lingua imperii, cuius nomine mittitur: Vel si excellit in Romana, ea vtatur, in familiari colloquio qua libuerit: Sumè Eloquẽtes M. Cato repudiauit, Carneadẽ Chritholaũ & Diogenẽ,

Pet. Crinito authore, vt quæcunque vellent, persuadere possent, tam æqua quam iniqua.

CLV. Aulicus Principibus iunioribus author sit, vt nō saltem linguam latinam nobilissimam visitatam: Verum etiam alias exoticas, & politica non conspurcata addiscāt. Inepti, indocti, barbari aulici vini & sanguisugæ Principibus dies, & noctes adhærentes auertunt illorum innocentissimos animos, nequicquam illorum discant. Timent enim mancipia Diaboli, & nummorum, ac fundorum, si Principem spiritus inuadat sanctus ardor sapientiæ se contemptum iri, doctos, & graues viros præponi; cum nihil aliud didicerint, quam aucupio, venatu, tributis, compendiis colligendæ pecuniæ, luxu, lusu, libidine, & similibus artibus, Principem instruere: existimantes, absque literis Respub. feliciter administrari posse: ad quid perditio hæc? Sed hic currum nolo trahere.

CLVI. Legatum Philosophum merum vix admittimus, nisi fuerit imbutus historiarum cognitione: nam quæ futura sunt plerumque paria ijs sunt, quæ iam facta sunt, quæ nosse debet Legatus, quia Politicus: nisi necessitas iubeat: illa enim omnes admittit etiam fœminas, imo exules Appiano, Plutarcho, Paschalio, Ajala teste contra Neotericos.

CLVII. Aulicus tamen mores Principis etiam in his obseruare tenetur, vt cum potatore strenuo, strenuè si potest, bibat, salua tamen iudicii dexteritate: Narratur & prisci Catonis sæpè mero caluisse virtus: vel nunquam tamen more beluarum potet, vel auri comportandi gratia. Tiberium legimus compotatori Siriam propter nocturnas compotationes tribuisse. Verum vt fias possessor bonorum, animam lædere nec sanitatem corrumpere, nec ad nutum alterius bibere extra modum debes. Ridebuntne aulici hæc legentes? Sed Ebrius:

Est

Est Salomon, est & Samson, est Simia, sus est,
Et Legatus quandoq; promit tacenda.
Sæpe mero somnum peperi tibi: at ipse bibebam
Sobria supposita pocula victor aqua.

Et ab ebriis eliciuntur quæ sobrii non dixissent. Vinum enim caret claro. Romani Legatis Scrutatores apponebant, quos tamen Vespasianus sustulit. Assueri Aulici neminem ad bibendum cogebant: in multis bibitur, vomitur & effunditur aulis.

CLVIII. Illud scimus temperantiam voluptatibus, & cupiditatibus dominari. Itaque aulicus, & legatus conuiuia vitare debet; nam solutus vino, & aliorum fabulis prouocatus facilius labi, & authoritatem amittere potest: ebrietas cum sit *voluntaria insania, & ingenii sepultura*, Augustino teste.

CLIX. Iurisconsulti disputant, an aulico tanquam legato oblata pertineant ad aulicũ, vel Principem qui ablegauit? Sed consuetudo obtinuit, vt legato relinquatur, nisi ex qualitate doni aliud præsumatur. Auaro frustra præceptum dabis. Quæ tamen de sordibus, & corruptionibus non intelligimus: nullus enim Princeps tam magnus & potens esse debet qui legatos quatere, & corrumpere possit: quod in Thebonorum Legatis commendat Demosthenes. A dono differt Legatiuum quod datur Legato viatici, & impensæ nomine. Quod si duobus legatio sit iuncta, & vnus ex Legatis sit mortuus ante legationem impletam Legatiuum superstiti non accressit, qui solus legationem obiit, ac impleuit: modo non missi sint ad diuersas, & distinctas legationes: nam eo casu is qui solus legationẽ obiit, duplex salarium consequitur, quia vicem duorum sustinuit. Sumptus Legatis dati proficiscentibus non restituuntur, quamuis in munere Legati recesserint.

CLX. Refert Valerius Legatos quosdam Romanos munera quidem accepisse, sed detulisse etiam in ærariũ, & quidem prius quam ad senatum Legationẽ referrẽt, existimantes de publico ministerio nihil vnquam, præter laudem benè administrati officii, debere priuatis acccedere.

CLXI. Legatus aulicus sit temperans, & sobrius, inprimis eo tempore quo proponenda erit Legationis summa; vt Xenocratis Atheniensium Legatus cum incurrere nollet, dicitur, nec quicquam voluisse, aut gustare priusquam legationem suam exposuisset: Modicum tamen & temperatum cibum & carni & animæ vtilem S. Hieronymus dicebat.

CLXII. Licet Honorius, & Theodosius Impp. rescripserint, alieni regni arcana non scrutanda: tamen Legatus reuersus omnia ea narrare debet, quæ ad Rempubl. videntur spectare, videlicet mores, religionem, & leges gentium, regionum situm, arces, ciuitates, vestitum Principum, Consiliariorum qualitates, origenes, familias, potentiam, opes, ædificiorum formam, vt supra notatum. Hæc omnia tamen ita, ne dicant, *venient, & tollent locum nostrum & gentem.*

CLXIII. Aulicus semper sit Principi author, vt Legatos non etiam adeò gratos splendidè excipiat, cum Maria mater Domini Christum ascendentem in cœlum, vt fabulatur Nicephorus suo more, exceperit, magnificè tractet, clementer audiat, liberaliter dimittat, ne quam habeant occasionem de inhospitalitate conquerendi, & si quid contra talem habet in aliud tempus reiiciat, si conditio negotii patitur, responsum absque mora detur: etiam minimè gratum cum gratiarum actione accipiatur: modo purissimum sit, & speculum animi eius qui dedit; vt tamen in scriptis detur exigat Legatus: inprimis si & ille capita legationis exhibuerit. Legatos qui violant, violant

naturam,

naturam, & sanctitatem: quãobrem omnibus temporibus seuerissimè ac iustissimè violatio legatorum punita est: Romani Corinthum propter Legatos violatos deleuerunt, & cum Tarentinis propter similem causam bellum gesserũt: & ante hos Dauid excidio aliquot vrbiũ puniuit violationẽ suorum legatorum: Si tamen habuerint mandata ad alios, nocitura communi patriæ, licet illos intercipere, vt Athenienses Legatos Lacedæmoniorum euntes ad Regem Persiæ vt eũ sibi adiungerent contra ciuitatẽ Atticã, teste Thucidide: Romani cæperũt Legatos Annibalis eũtes ad Regẽ Macedonicũ, Liuio referẽte: Sic si arma, si pecuniam, si frumentũ hosti nostro adportarent, cur nõ tales retineremus?

CLXIV. Aulicus Legatus & Consiliarius semper plus timeat de bono exitu, q̃ speret, ne incuriosus commissa tractet fiduciâ felicis exitus, alias curiositatẽ in aliis omnibus fugiat, authore Plutarcho: nam qui eam validam alendo reddiderit, & violentam, is propter consuetudinem deinceps difficulter eam cohibere in ijs poterit, quæ curare non liceat. In aulis vsque adeo est curiositatis grata titillatio, vt inhiberi nullo modo possit: gratissimi curiosi, etiam maleuoli, quia proditores.

Consiliarius aliorum consilia potest expiscari, eaque sequi, vel spernere.

CLXV. Vt dissensio Ducum in bello ad augendos & prouehẽdos hostium conatus multum prodest: Sic etiam consiliariorum & Legatorũ disiunctiones illis contra quos consilia dirigere debebant, subueniunt. Dent itaque operam Principes in constituenda legatione, ne dissentientes ablegentur, vel exemplo Aristidis, & Themistoclis inimicitias in finibus relinquant.

CLXVI. Consiliarius prudens aulicus plus mentis quam verborum in sermone relinquat, & cum magnis viris studeat esse breuissimus in re sua tractãda, vti supradictum.

Acutum argutum, & ex re natum responsum laudamus: Themistocles dicebat, se duos Deos adferre: Suadam, & vim, qua pecuniam exigeret. At illi ingeniosè respondebant: illis quoque adesse Deos magnos, & violentos: Paupertatem, & Desperationem, pecuniam denegantes. Probatur an Legatus quis sit, vel non inquit Bartolus per literas, quas defert Legationum: Tenetur enim ac debet diplomata legationis offerre, & exhibere, quæ vulgò *Credentias* appellant: Errant grauiter, qui etiam ad Principes vicinos notissimos missi credentias negligunt, vel instructionem, si negotium fuerit acerbum proponat id protestatione præmissa, si principi cui proponit aliquo modo obligatus sit.

CLXVII. Consiliarius aulicus cum aliquid magni momenti vult tractare cum Principe, eligat commodam occasionem, & initium faciat de regrata & noua. Si enim aliis negotiis sit intentus Princeps, parum gratè audietur Senator, vel alius aulicus.

CLXVIII. Multa sub prætextu legationis callidè & malitiosè fieri solent, itaque variæ etiam clandestinæ tum ad consolandum & consulendum instituendæ sunt: infinita enim pernitiosa sub Legationum specie tractari dicebat Cominæus, Gabaonitæ probant: Vnde Satrapæ Hannon Legationem Dauidis suspectam reddebant: proditionem tamen ignoret legatio.

CLXIX. Conduxit vt legati & consiliarii fuerint decepti, & aduersitates experti: Qui enim nunquam circumuentus ne aduersa passus est: truncum esse dixeris potius quam hominem: Propterea quid inter prauum, & virtuosum intersit diiudicare nequeat. Aduersa leues animos auferunt, virtuosos non euertunt. Legati tamen tempore legationis à quoquam violari non debent, etiamsi hostium sint Legati: Sancti enim habentur.

CLXX. Dicimus tamen ex sententia Polibii, hominẽ inprimis aulicum animalium omnium stultissimum videri, cum ab æuo in æuum peccet. Nam in aula malé, & iniquè acceptus sæpius neque mores neque conditionem ac statum mutat: cum canis cuiusdam aulici prudentior hero habitus sit, qui canis semel tantum in aula à canibus aulicis miserè acceptus, post nunquam voluerit palatium, vestigiis territus, ingredi, Herum & Dominum ad portam secutus: ex quo prædictus aulicus plus prudentiæ inesse cani, quam propriæ menti deplorabat: **Da er doch das Hoffleben nicht verlassen kónte / der so viel Hoffhuschen vnnd Sew ohne borsten bekommen hatte.** Et hoc inde quod homo ab animantibus in hoc differat, quod honoris sit cupidus: ambitio enim, authore Xenophonte, animantibus à natura non inest. Collum submittas fatali jugo, sile, quiesce, vilesce.

CLXXI. In negotiis Principis tractandis conseruet Legatus, & aulicus dignitatem: Verum eam statim dimittet, si dixerit Principem non esse plenè resolutum: ex eo enim variæ sumuntur coniecturæ infirmitatis, & imprudentiæ.

CLXXII. Consiliarius & Legatus Aulicus benè viuat, & verum intelligat, quod est sapientiæ: bene consultet, quod est prudentiæ: bene velit, quod est iustitiæ: & bene agat, quod est perseuerantiæ, & ita se gerat, vt omnes fateantur Principis sapientissimi in persona sua mores effictos.

CLXXIII. In negotiis expediendis aulicus, ne sit Adria iracundior, iram fugiat, quam ruinis similem dicebat Seneca, quæ super id quod oppresserit frangit: qua ratione motus Plutarchus iram homicidio pejorem asserebat, ira motus in arenam ne descendat, nec temere manus cum aliquo conserat, nisi incolumitas illi, aut honos in discrimen

vocetur, quo casu vtile est artem digladiatoriam, & notitiã luctandi, & supplantandi teneat.

CLXXIV. Iracundi, & cupiditatum serui acta deplorant: Sic rerum Dominus Alexander vbi Clitum irâ percitus interfecisset, seipsum postea sceleris pœnitentia ductus, interficere voluit. Nihil dicas, faciasue iratus: Ira tumor inanis est tam longè à magnitudine, ac audacia, à fortitudine animi. Legati durante legatione à quoquam conueniri non possunt, nec eis negotium moueri: nisi in legatione contraxerint: aut legationis tempore vt soluerent, constituerint. Si ipse Legatus ciuiliter vel criminaliter egerit, cogitur ibi recipere actiones.

CLXXV. Aulicus Consiliarius & Legatus in omni deliberatione, quæ de rebus publicis suscipitur, benè consideret, vnde minora, aut maiora absurda sequuntur, eamque sententiam pro optima habeat, ex qua pauciora incõmoda oriuntur, quæque proximus ad Decalogum accedit:

CLXXVI. Aulico excellentissimo Cominæo admonente, aulicus non facile subscribat, nisi perspicua veritate exigente, & necessitate postulante, crudeli, acerbæ, ex apicibus iuris, tractæ sententiæ in condemnationibus iustorum: Vel aulici non introeant in prætorium, vt non contaminentur. Noluerunt serui Regis Saulis iniusta decreta contra Sacerdotes ad executionem perducere. Sic neque obstetrices in re iniusta satisfaciebant Pharaoni: Iesabel paratissimos habebat Executores in occidendo Naboth. In bona causa Consiliarii sint strenui, & paratissimi executores, vt Thathanai, & eius Consiliarii in mandatis Cyri expediendis.

CLXXVII. Legimus de aulicorum Coriphæo Casparo Slick originem ex Teruiso ducente authore libri *de Euriolo, & Lucretia* sub nomine Syluii scripti, Cancellario triũ Imperatorũ, tempore damnati ac interfecti Iohannis Hus,

& Hie-

& Hieronymi: cum crudeles sententiæ dicerentur, Slickiũ surrexisse, & palam testatum fuisse, se ab istis suffragiis dissentire, atque ita è consessu abiisse.

CLXXVIII. Aulicus Consiliarius ac Legatus sciat, nullam ad euitandos errores commodiorem esse viam, q̃ egregia cogitare, selecta, & pauca loqui & agere, illaque honesta & licita Reipub. imprimis vniuersæ necessaria.

CLXXIX. Aulici Consiliarii & Legati reuera miseri à seruorum, & mancipiorum specie parum differunt, qui ex scrinio gynecæi, vel aulici concionatoris cerebro, & præscripto consilium sumere mutuo, vel tanquam promutuũ: & ne priuentur officio subscribere duorum, triumue opinionibus in causa salutis coguntur, vt prima syllaba *sub* vel supperare, salua sit: talis aulicus.

Aut fuit aut semper postulat esse miser.

CLXXX. Finita legatione quieti dantur Legati, & vacatio biennii ijs datur si longinqua, & transmarina fuerit, non si proxima legatio.

CLXXXI. Ne destituantur honore, repetant illud ex Iohanne: *Propter Iudæos non confitebantur, ne de synagoga eycerentur.* ———

quot & quantos nouimus? ———

Et Theodoricus Afer tales Ecebolos trucidari iussit dicendo: *Si Deo fidem non seruasti, quomodo homini synceram conscientiam seruabis?* vt quid claudicatis in duos partes? qui non est mecum, contra me est.

CLXXXII. Aulicus nobilis vel ignobilis qui non est Cõsiliarius, qualis esse, & in quibus se exercere debeat, hic tractare non est nostri propositi: tales itaque ablegamus ad linguas exoticas, saltationes, digladiationes, & equos, tum ad elegantem tractatum *de Aulico* Comitis Castellionei, huic tamen & nostra communia subiiciemus.

CLXXXIII. Aulicus in majorum suorum nolilitate ne delitias, vt Agapetus ad Iustinianum Imp. scribit, faciat; cuncti enim primum parentem habent cœnum & limum, tam ij qui in purpura superbiunt, quam qui paupertate afficiūtur, atq; morbo, tam ij qui diademate redempti sunt, q̃ qui per cubilia excubant. Ne igitur superbè auitum genus jactemus luculentum, sed probitate, & integritate morum gloriemur. Ante omnia videat ne sit ignauus, & indoctus nobilis, ne illi dicatur: ne obiiciatur illi, nihil agentes in vita esse, vt malè agant.

Audi Nemesis, sancta vide qualia monstra.
Immanibus ingeniis statuere triumphos
Iactant otia parta negotiis paternis
Ac ignaua nobilitate gloriantur.

Quanto vilior eorum conditio, tanto facilior est ruina, & breuior vena.

CLXXXIV. Deploramus quo fato fatuos Germanos nonnullos videamus, existimantes honestissimas & dignissimas scientias tantum plebeis relinquendas, ad Nobiles, ad purpuratos non pertinere, & doctos scribas nominare. Hodiè natura coniuncta disiungit: deplorat Paschalius, & nihil aliud esse nobilitatem quam seminarium militiæ: cum tamen togæ quandoque plus lædant quam loricæ.

Est scelus ingenuas didicisse fideliter artes.

Quibus Canisii Epigramma reponimus ipsis scribis.

Nobilium vulgus celeres contemnere scribas
Non sinit, & pennas carpit vbiq; leues.
Attamen hoc vulgus pennas in vertice gestat
Et pictis chartis ludere semper amat.
Quando igitur pennas facitis tantiq; libellos
Nonne manet scribis, nobilitatis honos?

CLXXXV. Verum hodiè pauci & nulli Francisci,

Alphonsi

Alphonsi, & Sigismundi reperiuntur. Pulcrum tamen vbique est, benè natos prosapiam ornare virtutibus. Vetustas nullam agnouit nobilitatem, quam quæ beneficiis, virtutibus, & præclaris esset parta facinoribus: ornet non infatuet Nobilitas.

CLXXXVI. Aulici & vere magnanimi, laudabiliter tamen faciunt inter angustias fortunæ auitum nobilitatis genus retinentes, vel interruptum ab obliuione, & postliminio vindicantes: modo virtute fiat. Et talis est propria nobilitas, ex generatione tracta, aliena, vt omnis corporalis nobilitas spiritualis vera, vt Degostella loquitur.

CLXXXVII. Aulicus videat ne superbia, & fastu nobiliores, & alios præclaros viros offendat, inuidiamque in se concitet, si ex humili loco ad id fastigii euehitur, vt nobilissimos anteeat, inprimis, si nudâ gratia-vel ex rescripto, vel per malas artes non claris factis. Nam in hac misera vita, vt eleganter, & piè Cominæus loquitur, nihil potius ducamus, quam vt metuamus diuinum iudicium, & studeamus in rebus omnibus æquitati: neque defatigemur ijs curis, quales ferè suscipiuntur à multis nimia quadam ambitione, & cupiditate augescendi. Audias Senecam in Troade ad Agamemnonem loquentem.

—— Quoq; fortuna altius
Euexit, ac leuauit humanas opes
Hoc se magis supprimere felicem decet,
Variosq; casus tremere metuentem Deos
Nimium fauentes, magno momento obrui
Vincendo didici.

Ergò:

Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente
Diues ab exili progrediere loco.

Quisquis habet nummos secura nauiget aura
Fortunamq́; suo temperet arbitrio.

Ne dicatur ex Cicerone: nouus homo es, consulatum petis, & malè quæsita pecunia nobilitatem emisti.

CLXXXVIII. Aulici noui homines, qui volunt ignobilitatẽ suam magnis nominibus ficto genere, nouo assumpto nomine, nõ virtute inserere, diridiculosi sunt, & habẽtur, vt & illi qui è contra tantum sordidum genus, & originem obscuram amant, genere in matrimoniis contrahendis, & aliis neglecto.

CLXXXIX. Cum omnia quæ nnnc vetustissima creduntur noua fuerint, neque origine careãt, virtusque præmia desideret naturaliter, & difficilis sit veræ nobilitatis definitio, num ex genere antiquo, opibus, & fundis, statu dignitatis, vel virtute sola sumenda: prudens aulicus generis splendore insigni dono Dei coruscans, aulicum propter nobilitatem recenter adeptam, eaque dignum, ne contemnat, cum eiusdem sint generis, virtutis conditionem si considerauerimus.

— *Aut virtus nomen inane est*
Aut decus & pretium, rectè petit experiens vir;
Horat: Sed repetat illud tritum:
Esto quod es, quod sunt alii, sine quemlibet esse
Quod non es, nolis, quod potes esse velis.

CXC. Si enim, inquit Apulejus; *laudas aliquem, quia generosus est, parentem eius laudas, si vero, quia diues, fortunæ hoc debetur: si eum laudas qui bonis moribus, & artibus doctus sit, & valde eruditus in togata, vel armata scientia, & militari, quantum homini licet, tunc ipsum virum laudas, non aliena.* Tantum quis nobilior, quantum & moribus probis, & luculenta facultate reluxerit; quod ex Cassiodoro refert amplissimus Kirchnerus *in Legato* elegantissimo.

Malo

Malo, inquit Poeta, *pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis*
AEacidæ similis, Vulcaneaq; arma capessas:
Quam te Thersitæ similem produxerit Ajax.

CXCI. *Si quid in nobilitate est bonum*, inquit Boetius, *id esse arbitror solum, vt imposita nobilitati necessitudo videatur, ne à maiorum virtute degenerent*. Philone authore nobiles sunt prudentes, & iusti, etiamsi è vernis, aut Empiricis nati sunt: mali etiam ex honestis maioribus nati non sunt nobiles. Duo enim tantum sunt in mundo genera hominum mali ac boni. Bartholus in vero Nobili requirit genus nobile, honores, & diuitias:

CXCII. Nobilitas enim quamuis plena consistat in virtute, opibus, scientia ac genere: tamen & ea est nobilitas, in qua genus antiquum desideratur, modo virtus, & virtutis effecta appareant non vana.

Antiqua, si non clara, vana: si non diuitiis ornata, ridicula: cum nobilitas nihil sit aliud quam inueteratæ diuitiæ, vel vetus opulentia: verè nobiles si diuitias bonis operibus faciunt clariores. Sine diuitiis mutila manca, & contemta est nobilitas.

CXCIII. Inde Veneti prudenter inter antiquas, medias, & nouas familias distinguunt, credentes ad altissima ascendentes, & in cœlo & in terra nobilitari.

CXCIV. Cumque omnes familiæ etiam antiquissimæ tandem deleantur & vena nobilitatis nō sit perpetua, semper exsuscitandæ, & fouendæ sunt aliæ. Vnde Veneti vno tempore trecentos ciues, accepta tamen pecunia, in album nobilium receperunt.

CXCV. Aulicum tamen ex antiqua familia natum, virtute, & doctrina excellentem præferendum prudentes censent Aulico nobili nouo, quamuis docto: nouum tamen genere, antiquo, virtute, & literis vel scientia mi-

litari non ornato: ne is qui diutius habitauit inter rusticos habeatur nobilior, ex Poggii opinione.

CXCVI. Aulicus si præter diuitias nihil possideat, nobilis dici nequit, licet ex sententia Saluiani, tanta sit miseria huius temporis, vt nullus habeatur magis nobilis, quã qui sit plurimum diues, vel vt ille loquitur, quasi nobilis: Veri aulici honorem non in splendore titulorum, sed in iudiciis hominum reponant, magnisque titulis pares se faciant.

CXCVII. Si aulico placet nobilitatem ostentare, libertatem animi ostendat: Libertatem, inquit Chrysostomus, eam quam ille vir beatus habebat, cum esset pauperrimus, à quo iterum atque iterum Herodes audiuit: *Non licet tibi fratris vxorem habere.* Sic verus erat nobilis, qui dicebat Achab: *Non ego, sed tu & domus patris tui Israelem peruertis.*

Nec Regis vesana potentia terruit illum
Quo liberè verum minus
Assereret forti at firmaret morte quod ore.
Illi haud licere dixerat.

CXCVIII. Illi qui diuitias appetunt, licet nobiles sint, non audent extollere oculos, nec liberè quicquam dicere de virtute, iustitia, & veritate.

CXCIX. Errat Crantzius existimans infimum nobilium gradum in Baronibus finiri: Crancius hic Baro.

CC. Aulicus sciat Dionem ex sensu vulgi, elegantem inter nobilem, & ignobilem differentiam posuisse: talem, vt ij qui eam dignitatem obtinent, quam merentur, non magnopere postulent honores, sibi ab aliis exhiberi, neque si quid ab illis prætermissum, aut peccatum fuerit, reprehendant: Sibi enim conscii sunt, se non contemni, verum qui subsidium sibi comparant, ac decus atque ornamentum studiose quærunt, omnia, quæ spectant ad augen-

dam dignitatem, quæ si nequeant assequi, molestè ferunt, quasi illudi videantur, dolentque quasi sint magnis iniuriis lacessiti. Mortales, & caducos titulos aut depreceris, aut temperes.

CCI. Ex dignitate, & præstantia formæ, & faciei aulici animum haud degenerem colligere Princeps, & corporis forma præstantem præferre deformi debet, vt supra dictum. Proceritatem multi amant, cum tamen, magni non semper sint boni, & probi Moyse, & Samuele teste, vt nec breuis staturæ.

CCII. Aulicus præter & super experientiam, sapientiam & eloquentiam etiam sit specie inanium validus, vti moribus exquisitis, corporis elegantia & proceritate, vestitus splendore, tum omnium rerum magnificentia, quæ congruenter in omnibus, Aristotele docente, instituenda, alioquin desinit esse magnificentia. Vacuam non inhabitet, si vult magnificus haberi, ne ostentatio, deliramenta & nugæ in locum magnificentiæ succedant: Non tamen qui in se insumit, sed qui in publicum, est magnificus: splendor & auaritia pessimè conueniunt.

CCIII. Omnis aulicus in aula obseruet, vt habeat frontem apertam, linguam parcam & mentem clausam, & ne sit gestuosus.

Ne gesticulatim loquere, aut caput manusq;
Iacta. Nimis hæc optima dicta deuenustant
Sed nec sic, quasi cum quo alio leuis loquare
Spectes aliorsum tua frons sit acta fronti
Sed vtrumq; modeste dabis, alterna reponens.

CCIV. Si aulicus sub Principe periculum & inuidiam effugere cupit, à nemine alio sibi officia dignitatesque deferri patiatur, præterquam ab ipso Principe.

CCV. Aulicus non perpetuo adsit Principi, neque diu nimium absit: quorum alterum parit odium & facieta-

tem, alterum obliuionem. Optima voluptas & conuersatio, quæ non emitur lachrymis & doloribus.

CCVI. Aulici enim prudentes cum Principe tanquã cum igne agant, à quo non adeo aberunt, vt illius calore foueri non possint nec si illi appropinquabunt, vt illius incẽdio ipsi conflagrent. In tota enim conuersatione in tædiũ præsentia, in obliuionem absentia venit: Quod Peucerus infelix aulicus ita reddidit:

CCVII.

Aula suis rapidos imitatur moribus ignes,
Errat ad hanc facilem qui putat esse viam
Vreris propius si paulo accesseris, at mox
Horridus algebis, si procul absueris.
Si medium teneas calidi splendoris ab aula
Quæ satis est nunquam copia deficiet,
Ergo frequens aulæ caue ne sis hospes eadem
Ne fugias felix si cupis esse diu.

CCVIII. Sancto Petro Caiphæ ignis arridebat, propius itaque accedens ignem, Christum ter negabat: Aulici sæpius accedentes & inde calorem quærentes millies negant, millies cadunt, & tandem consumuntur.

CCIX. Vt etiam cum commodo tuo absis, ambiendæ sunt legationes fauorabiles, nuptiales & similes, vel tantum honorificæ: & hoc pacto aulicus semper nouus redit: si quis tibi voluerit legationẽ præripere, vel eam Princeps alii committere, labores manibus pedibus, promissis & muneribus, apud quem est referendi facultas, sub alio prætextu etiam dignior & aptior repellatur.

CCX. Innocens inuidiam belluam egregie dentatã aulicus, æquo animo caute tanquam Diaboli cloacam contemnat, & recte agendo & vera dicendo inuidiam marcescentem rebus alterius opimis vincat.

Recte

Recte inuidia est refugo comparata telo,
Telum solidi si quid ei se obiicit, inde
Retro resilit nec necet huic cui minatur
Quin & redit & vulnerat ipsum arcitenentem.

Itaque:

Aude animo inuidiam contemnere non nocet illi
Quem petit, authori sed nocet illa suo.

Nam:

Se la inuidia fosse vna febre tutto il mondo morirebbe:
Heu quantum inuidiæ tecta potentis habent.

Prudentia Gedeonis ac mansuetudine frangitur & premitur, ambitio ac inuidia virorum Ephraim.

CCXI. Aulicus inuidiam excitat, si absque causa & necessitate multarum nouarum mutationũ fuerit author, non semper etenim prosunt sed plurimum nocent.

Cosa muta la vechia in la nuoua
Spesse volte ingannato se troua

CCXII. Studeat ergo multis & firmis rationibus demonstrare noua meliare antiquis ne incidat in notas Antonii Fabri. Nam Aristotele teste, *Non facile neq; sine magno metu mutari potest, quod longo tempore radices egit.*

CCXIII. Aulicus quamuis fateatur politicam sapientiam abhorrere ab ipso mutationis nomine: tamen vel impii, vel ἄθεοι, vel valde sunt stolidi & rerum diuinarum ac humanarum expertes, qui nullam mutationem faciendam statuunt.

CCXIV. Prophetæ, Apostoli, Christus ipse, aliiq; viri excellentissimi haud dubiè patriæ tranquillitatem amantes, reprehenderunt impios cultus ac prauas opiniones & maximarum mutationum authores fuerunt. Quid Antonius Faber respondebit.

CCXV. Aulicus non ignarus quantum difficultatum & periculorum adferant mutationes: tamen prudenti,

ſyncero & Chriſtiano pectore præditus excelſo animo perfert & excipit omnes difficultates & innouationum motus. Quomodo effugies Luthere in Germania? Quomodo Caluine in Gallia? Quomodo Bucere in Anglia? Principes imperii in propriis ditionibus quid prætendent?

CCXVI. Pyſſimè pro monaſteriis ſcholas, Noſocomia, Xenodochia, Orphanotrophia, Saxo, Brunſuicenſis, Haſſus, Wirtebergicus & alii conſtituerunt: Sacrilegium committunt in vſum proprium vertentes, vel non bene reformantes. Sturmio teſte.

CCXVII. Nouum genus ſapientum aulicorum contrariam tenet tueturque ſententiam: Monaſteria ſcilicet non reformanda, ad alium etiam meliorem vſum non transferendâ, cum ipſi ijs pro ſe & vxore ac liberis libere vtantur: Canonici ſcilicet ocioſi. Nulla de religione mouenda certamina, paeem laudantes & concordiam. Execrantur omnes qui quocunquè modo ſerunt diſcordias, eoſque teſte Magno Melanthone, tanquam καθάρματα & peſtes generis humani tollendos eſſe cenſent. Aſtipulamur ijs in deciſis ac articulis fidei, verum non in indeciſis: Iſtos vero omnes nouimus argenti ex tenebronides, proprium commodum ſpectaſſe, prædia, fundos, decimas quæſiuiſſe; non regnum cœlorum.

CCXVIII. Aulicus nullus niſi improbus author eſt Principi, vt perſecutiones inſtituat, diſſentientes eiiciat: Perſecutiones Eccleſia vitet: Vbi perſecutio, ibi nulla Chriſti doctrina.

CCXIX. Aulicus iuuare debet Eccleſiam, & poſteritati conſulet, cui vt Remp. bene conſtitutam ita multo magis veram ſimplicem puram religionem relinquere & tradere debet.

CCXX. Errant aulici, qui opinantur humanis viribus ac conſiliis propagari, conſeruari & defendi religionē,

magis

magis illi ac periculose, qui religionem, vltimis voluntatibus, testamentis & contractibus subiiciunt, cum non sit in commercio hominum, nec admittat dispositionem humanam. Vnde hoc mali ac scandali, quod tot testamenta Principum euertantur. Hodie rusticorum testamenta propugnantur strenuè, Principum concidunt impunè: res extra commercium nostrum.

CCXXI. Aulicus concludat, omnem religionem fidei, consistere in cognitione Dei & Filii, quem misit, tum Spiritus Sanctus tum innocentia vitæ, & vt remissionem peccatorum, resurrectionem corporum & vitam æternam nobis ex gratia & beneficio mero obuenire credamus. Et quamuis in Germania, pragmatica sanctione cautum esse dicatur, vt ordinibus Imperii liberum sit Romanam religionem, vel Protestantium Confessione comprehensam profiteri, & subditi ad nutum Principum & Magistratuum cogantur credere: tamen aulicus Principi author esse non debet, vt vi vel metu adigat, subditos ad religionem, quam ipse profitetur, amplectendam. Nam si sanguine, si tormẽtis, si malo religionem, defendere velis, iam vt loquitur, Lactantius, *non defendetur ipsa, sed polluetur & violabitur.* Et religio crescet:

Cæde fit vberior pietas: sic insita Conchæ
Clarior è pelagi turbine bacca venit.

CCXXII. Aulicus mordaces inuidorum in se sermones lepide & ingeniose repercutere, non magna vehementia refutare, sed subtilitatẽ facetiis, facetias subtilitate ex sententia Castellionei permutare debet: Vt puta Hispanos asserentes etiã in Hispania fuisse, qui reperissent Indiã, verecundè Columbus derisit, & respondit nihil, sed ouo afferri in triclinium iusso & mensæ imposito, verso ad omnes sermone: *age dum* inquit, *Domini mei, cum quolibet vestrum deposito in cœnam pignore certo, neminem eorum qui hic sunt fa-*

cturum ouo isto, quod ego facturus sum videlicet, vt nullo nixum adminiculo stans & erectum in pedem suopte nutu maneat: periculum fecerunt omnes, neque vlli eorum successit: Sed ipse Columbus ouum altero eius fastigio vel angulo mensæ illiso ac leuiter quassato, rectum firmumque constituit, significans id iam omnibus factu facile, postquam ipse primus probasset & Americam inuenisset.

CCXXIII. Si gloriosus aulicus de comitiis, quibus non vt legatus, nec consiliis publicis interfuerat, multa differens, notabatur ab alio viro exercitatissimo & comitiali hisce verbis: *Et eo tempore per integrum meus auriga adfuit semestre:*

CCXXIV. Diuersæ gentis Aulici de antiquiori origine suæ gentis acriter contendentes mordicus suam gentem quisque defendebat. Germanus ambitionem fugiens tandemque Lecho & Cecho cedens, respondebat *fateor vestram gentem antiquitatis origine superare nostram: Vestra enim extitit eo tempore, dum Deus dicebat, pœnitet me fecisse hominem.*

CCXXV. Sic alius lepidè subtili aulico omnia in sermone tegenti & simulanti tum dissimulanti, dicebat: *Ego liberè omnia profero & aliter ac sentio loqui non possum, natus enim sum antequam bellum inter cor & linguam exortum est: tu vero post bellum excitatum.*

CCXXVI. Inuidia quæ inprimis in aulis oritur, & nutrimentum habet atque virtutis perpetua est insectatrix ac communis pestis aulica, quæ vt homini connascitur, ita Baldo scribente inter pares vel inferiores quoque solet oboriri, nullis remediis potest curari & imminui, quam humanitate & affabilitate.

CCXXVII. Casum occasum patiens repetat consolationis loco illud Macrobij:

Non possunt primi esse omnes omni tempore
Summum ad gradum claritatis cum veneris
Consistes ægre & citius quam descendas, decides
Cecidi ego, cadet qui sequitur, laus est publica.

Maior:

Sæpe aliquis florens hodie est, sed crastinus ortus
Edocuit. quam flos iste caducus erat.

Scimus enim Dei esse terram & nos tantum esse colonos etiam Principes, vel potius asscriptitios glebæ, quos Deus nullo negotio ex tuguriolis vel casulis eiicere potest etiã in aulis palaciis habitantes.

CCXXVIII. Parua enim, inquit Polybius, temporis interualla homines in excelso fastigio collocant, & eosdem rursus ad extremam miseriam ac calamitatem redigunt, atque eos maximè qui in aulis Principum vitam agunt. Hi enim similes sunt calculis in publicis consiliis dari solitis. Nam vt illi modo ænei , modo aurei dantur, ita aulici pro Regis voluntate nunc beati, nunc miseri fiunt.

Lubrica namq; via est, magni cecidere cadentq;
Est mihi quiq; hodie cras tibi casus erit.

Qui tamẽ virtute est munitus superat oẽs mutationes. Magni. n. animi etiamsi mutationibus subiaceant, tñ immoti & firmi manent: sed animi paruis inclusi finibus humanis, nõ quiescũt, timẽt, sperãt, titubãt, cõquerũtur fluctuãti similes.

CCXXIX. Nec vlla cautio Aulicis contra lapsum relicta, conditio enim humana nõ fert summos gradus & honores. Seuerus Imperator audacter affirmabat, non posse vllum malum abs se Plautiano, accidere, qui tamen nihilominus intra annum occisus est omnium hominum ea ętate potentissimus , cunctis statuis ipsius dissipatis. Seianus, quamuis sua culpa idem testatur. Sic Gallus, cum Tiberii cõuiua esset, cumque eo amicè cõpotaret, in Senatu damnatus est: & Syriacus nullius criminis neq; reus neq; legitimè

 accu-

accusatus, doctrina insignis propter hanc vnam causam, quod Gallum amicum habuisset interfectus: nec flectes illum Tyrannum, etiamsi sanguine fleueris.

CCXXX. Neque semper damnosa aulico talis mutatio, Mantuano teste:

Pluribus excelsa vel opum vel honoris ab arce
Profuit ad modicæ sortis cecidisse quietem,
Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

CCXXXI. Et hoc pacto vilis mundus redditur ijs, qui æternum spectant: præsentis enim vanitatis contemptu imbuti, mundum nonne negligerent? Non pugnet cum temporibus.

CCXXXII. Quamuis bene taceat, qui defensione non eget: & ambiat defendi, qui timet vinci: tamen cum pro foro vis sit, nesciatque potentia leges, aulicus, vt supra dixi, supremi Principis protectionem quærat, eaque vtatur, si innocens est, plenior iustitia, quæ non charta astruitur, sed veritate fulcitur.

CCXXXIII. Naufragium semel passus aulicus in aulæ Pelago iniustè Neptunum incusat: nam si iterum vult ingredi, non deerit occasio, nam:

——— *Vis temporis omnia soluit.*

Et aulico omne solum patria esse debet, teste Castilione. Aulicum omnium regionum & horarum hominem esse debet: Solem non vituperamus per totum mundum currentem.

CCXXXIV. In aulicis illud locum non habet: non licere in bello, vt nec in criminali causa bis peccare: habeat in iis rationem illud: οὐκ ἔστιν ἐν πολέμῳ δὶς ἁμαρτεῖν. Nam post vnum lapsum in aula, sæpius aulici felicius resurrexerunt. Exemplo sit tibi ipse Iosephus, Deo moderante ex infelici aulico felicissimus factus. Nec Vlysses fuit tam irato mari, Seneca teste, natus, vt vbique naufragium fecerit.

Etenim ad bonas spes pertinax est animus : Et vt idem Seneca ait; *Terra mariq́, humana opera cessarent, nisi male cadentia, tentare & tractare libuisset.* Vir fugiens & denuo pugnauit. Sicut enim miles cadens alacrior surgit animum iramque sumens: ita aulicus.

CCXXXV. Qui volunt sub aliquo Principe facere magnos progressus , conentur seruitio promptissimos se exhibere: abrupta enim contumacia non solum progressus aulici interrumpit, sed eos frangit & tollit.

CCXXXVI. Aulicus, qui à Principe prouehi cupit, semper studeat ante illius oculos versari & ab eo conspici: Sæpè enim repentina ingruunt negotia , quæ Principes illis committunt , qui prius ipsorum conspectui offeruntur.

CCXXXVII. Omnium, inprimis Dominæ, maximè si dominandi auida, virilibus curis prædita sit. Illa enim quamuis fœminarum exuat vitia: tamen nemini fauet cõtradicenti, fœminarum, virginum, ancillarum, puerorum nobilium, cursorum, etiam infimæ sortis hominum, quicunque apud Principes in honore & pretio sunt, amicitiã & beneuolentiam, omni beneficiorum & officiorum genere demereri sibi studeat, cum vnus homo sæpius instar millium sit. Quanta anxietas in aula? quanta seruitus, subiectio ac patientia. *Magnanimo confert homini patientia multum.*

CCXXXVIII. Aulicus qui sapit semper futuris & periculosis tuta & præsentia dummodo honestè fieri potest, anteponat. Qui enim suis cupiditatibus terminum non statuunt, & futura præsentibus præferunt, pluribus dignitatibus inhiantes, parum plerumque proficiunt & sœpius repulsam damnosam patiuntur.

CCXXXIX. Aulici rudes, & stolidè feroces etsi digni

vituperio: attamen nullo flagitio contaminati, excuſatione & venia ſunt proſequendi:

Sic viue tibi, ſic alii, vt dicere poſſis,
Te pacem homini, te vitio indicere bellum.

CCXL. Aulici quamuis morum & affectuum indicia premant & occultent, erumpunt tamen tandem & ſe produnt.

CCXLI. Magni aulici ſeceſſus ſœpe inſtituunt, quo intentius iram, ſimulationem & ſecretos animi motus exerceant, & meditentur & in altitudinem ſe condant: occaſione poſtea oblata promunt, quæ in illa ſolitudine concoxerunt, quod omnibus Politicis & militibus commune eſt, nec ſemper bene ſuccedit. *Ducam eam*, inquit Ozea, *in ſolitudinem & loquar ad cor eius.*

CCXLII. Nihil miſerius excogitari fere poteſt, quam aulicos ſtultæ fœminæ ſeruire. Fugiant itaque aulici fœminarum imperium, imprimis imprudentum. Fœminea conſilia etiam Iupiter odit, *Homer. Odyſſ. 11.*

CCXLIII. Nam difficilis res eſt, Ariſtophane authore, eſſe ſeruum inſipientis heri: ὑσ ἀργάλεον πρᾶγμα ἐστὶν θεῶ, καὶ θεοὶ δοῦλον γίνεσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου. : & Magiſtrum inepti auditoris.

CCXLIV. Aulicus quicunque magnum aliquod facinus aggreditur, antequam illud diuulgetur omnia ad id neceſſaria præparata habeat, vt ſupra.

CCLV. Res maximæ & ingentes ab eo ſuſtineri non poſſunt, cui tacere graue eſt: Si tacueris, inuenies gratiam in conſpectu Domini: maiori diligentia ſunt tuenda conſiliorum & verborum arcana, quam pecuniarum.

CCXLVI. Inter offenſiones aulicas & beneficia hoc intereſt, quod ſimul & ſemel illas expedire & pro vna vice conueniat, ne nimium irritentur animi hominum ex earum iteratione.

Beneficia vero ſenſim & ſæpius ſunt conferenda, & in plures vices compartienda, quo homines magis ea percipere quæſtu & delectatione cum amore erga conferentem poſſint. Sic bona noua ei, cuius intereſt, nō ſimul ſed gradatim ſunt enarranda: vt Rege Franciſco capto, prudenter Hiſpanus Carolo V. primo narrabat, Cæſareos victoriam obtinuiſſe: accepto præmio adiiciebat, vniuerſam vim hoſtis fractam: tandem Regem captum.

CCXLVII. Aulico in mutatione Regnorum & recepto nouo Principe obeſt plurimum nimia triſtitia & nimia lætitia. Expedit ergo vultu compoſito eſſe, & dum ſalua fide & decore poſſis, appoſite lachrymas, gaudium quæſtus, & obſequia miſcere.

—— Vidimus exempla ante annos paucos.

CCXLVIII. Aulicus ſtatuat melius eſſe habere quam expectare feudum, & ſecundum Accurſium: *melius vnum tene, tene, quam centum cape, cape*, potius igitur ſumat pecuniam paratam honeſta mente & repente, quam expectantiam, vt vulgo loquuntur, lente.

Melius & optabilius eſt, ſpectare quam expectare, vel expectantias vel expectatiuas emere imo conducibilius.

CCXLIX. Aulicus ſemper ſui Principis liberalitatem & vbique prædicare debet exemplo Gothonis Regis Norwegiæ & Regis Daniæ aulicorum, qui pignore depoſito, certamen ineunt, vt tollat, qui re ipſa comprobaret, cuius Regis maior eſſet munificentia: Hodie tamen & noſtris moribus aliud à Regibus donum expectādum ſic probi dicerent ac auari.

CCL. Tilenſis vulpecula vicit competitorem, & Rex Daniæ Norwegiæ Regem. Regis enim Daniæ liberalitatem prædicans, brachium armillis præditum ſublimius præferebat, manum alteram: vt poterat, re-

condens: rogatus à Rege, quid ſiniſtram abſconderet? reſpondit, illã verecundari, cum ornata ſorore, illa maneret inornata: Rex libertate dicentis delectatus, Ergo inquit, ornetur & illa, aliaſque adiecit armillas.

CCLI. Simile exemplum de Equite Marchiaco Robero, ſœpius audiui, qui oblatã Electoris Auguſti Saxoniæ imaginem noluit appẽdere filo, dicens, ignominioſum eſſe, tam vili filo appendi Electorem. Huius ſermonis admonitus Elector, ipſi catenam auream adferri iuſſit, dicens præſtantiorem imaginem Electoris eſſe, quam vt eo modo geſtetur.

CCLII. Aulicus ſemper famæ dare debet, quod ad munus acceptandum vocatus electuſque acceſſerit, etiam inuitus: vel aulicis muneribus efficere poterit, vt qui proximus eſt Principi, & Principi & relinquis perſuadeat, quod optat ille: Caſtilio vt plenius docet.

CCLIII. Aulice, licet cum intimis tuis agas de Principe tuo vel ipſius adminiſtratione, ſemper dirige verba in ſenſum talem, qui non poſſit in peius detorqueri. Nam recte Guntherus lib. 4.

Principibus fili tacitus maledicere noli
Portat auis cœli maledicta latentia Regi:
Sæpius auditis fueris quam voce ſodalis.

CCLIV. Multi aulici faſtus & pompæ gratia tantum, multis munera impertiuntur, quos ſecreto habent inuiſos; muneribus *itaq; ne fidas.*

CCLV. Aulicus ne publice in aula vel conuiuiis diſputet genealogiam Principum, imprimis nouorum: contrahet enim odia & pericula: nec decet ſeruum ex Cypriani conſilio, de natalibus Domini diſputare, ac inquirere.

CCLVI. Aulici, qui reliquos dignitate ſuperant nouo Prin-

uo Principi prius successiue, qui sequuntur iuramentum præstare debent.

CCLVII. Prudentis & cordati est Senatoris aulici, in ijs, quæ ad Rempublicam pertinent, non vti consilio nisi suo, vel cum periculo offensionis.

CCLVIII. Experientia cognitum est ob nimium studium prouehendi amicos ad dignitates & officia quosdam aulicos res proprias turbasse & euertisse, fugiant itaque tales promotiones, cæci qui non vident. Princeps potest: tum vicarii Principis Nehemias promouebat consanguineos.

CCLIX. Aulicus impediat, ne in consilium grauissimorum negotiorum sanguine iuncti simul adhibeãtur. Vnde olim Patriæ suæ administratio nemini admittebatur. In quo ius commune secutus est Philippus Pulcher & Carolus V. Qui negligunt, valde circumscribuntur.

CCLX. Bonus vir aulicus semper exilium voluntarium libentius voluit suscipere, quam quicquam contra mortui Principis ordinationem ante voto comprobatam agere.

Si respicias vulgi & auari naturam, in tranquillo non eris: ad veritatem & virtutem, si te composueris: vbique portum & quietem habebis.

CCLXI. Cum æmuli tui aut socordia senescunt aut per libidines pessumdantur, tunc aussice: optima tibi affertur occasio res tuas prouehendi, & illis citra proximi incommodum resistendi.

CCLXII. In aulis ad iniusta facinora exequenda semper obtentui sumuntur iustæ causæ, vt hoc colore, alii populi & tua facta comprobent, & an læsa sit Respubl. non solent argumentis probare, sed manifesta statim damna extare Reipub. dicere.

CCLXIII. Ab vna ad alteram naturam absque requisitis mediis descendere inutile & periculosum est aulico.

CCLXIV. Improbi aulici ad vanitatem compositi suggerunt Principibus , vt hostes , quos alia ratione tollere non possunt nuptiis propinquorum alliciant , & sic subdola affinitate euertant. *Venenum aspidum sub labiis eorum* nuptiis dolosis implicabat Saul Dauidem filiam Michol. ipsi in matrimonium collocans.

CCLXV. Artificiosa species exprobrandi vitia alicui est in aulis , cum quasi eum excuses, loqueris quem corrigis.

CCLXVI. Aulicus neminem lingua, nisi necessitas Reipub. exiget, lædere debet. Vt enim inhumanum proximum lædere est indignissimum: sic lædere clam turpissimum , lædere palam impudentissimum apud Reges & Principes iniquissimum & plane impium & periculosissimum. Qui tamen cito mouetur ista iniuria, facit se videre dignum ea: nisi sit enormis.

CCLXVII. Quanto plus aulicus nititur in sermone, vt sensus penitius abdat, tanto magis in incertum & ambiguum implicatur.

CCLXVIII. Quando prudens aulicus cognoscit, se in offensionem Principis inaduertenter incidisse, nil moretur eum quoquo modo lenire: recondunt enim alte offensas Principes , quas suo tempore multo grauis expromunt, quandoque iniustè.

CCLXIX. Iræ implacabilis aulicæ est, vt verba omittat tempus & occasionem grauiter lædendi expectet vindictamq; obsignet silentio. Sunt quoq; aulis Hemorrhoidē Sycophantæ qui iniustus dominorum cupiditatibus adulantur & quorū veneno accensi principes flammas odii cōcipiunt fiunt cruenti, & furenter crudeles.

CCLXX. Preces Principis affinium, vxoris, matris, sororis, filiæ & earum personarum, quæ in magno pretio sunt, plurimum efficaciæ apud ipsum semper habent. Ideo prudens aulicus earum Patrocinium & gratiam honestis meritis quærat. Sciebat Dauid Ionatham obstrictum *iuramento*.

CCLXXI. Si negotiorum & causæ consociare aliquem velis aulice, id nulla ratione melius assequi poteris, quam illi tecum commune periculum ostendendo.

CCLXXII. Aulici sub obtentu consulendi Principē possunt frustrari illos, quibus cum agunto frequens via in bellicis negotiis etiam trita.

CCLXXIII. Aulicus qui sibi odium & inuidiam haberi videt propter fauorem Principis, caueat æmulos: odia enim erunt acriora.

CCLXXIV. Simultates inter aulicos exortæ bene sunt obseruandæ, ne, dum vni parti adhæres offendas alteram, vt supra.

CCLXXV. Non multa vno tempore sunt petenda, ne Princeps ea concedere grauetur aulico: quamobrem vel tales fugiunt, vel illis imponunt, ne petant.

CCLXXVI. Cum lex sit Historiæ, vt veritas ante oculos habeatur, gratia atque odiis posthabitis, melius est, Historicum & Politicum aulicum, si non fert ratio temporum, ab historia scribenda abstinere, quam eam turpiter mentiendo & adulando, quod plerosque factitasse Flauius Vopiscus scripsit, maculare. Reipublicæ enim interest, ne quid omnino, nisi quod sit compertum & exploratum, in lucem exeat, & cadauer ac viuum animal vendatur. Reos omnes historicos facere possumus: at vero non nocentes.

CCLXXVII. Aulicus parum fidei tribuat plerisque concionibus funebribus, quas passim diuulgant, tum

nugis incertorum historicorum, quibus viuentibus turpiter imponunt & posteritatem fœde decipiunt: raro enim fit, vt non plus affectioni & nummis, quam veritati tribuant: Et citius corniculas in Africa quam aliquid solidæ veritatis in iis repereris. Puniantur æquè omnes publica Imperii Constitutione: Si aulicus vult bonas horas perdere, potius legat Orlando furioso, Don Qui Xote de la Mancha, Amadiscum, cuius libros tamen flammis tradendis aut in Siciliam deportandos putabat Della Noue: & in illis contineri nugas, ineptias, corruptelas, pestes existimat Lipsius.

CCLXXVIII. Fugiat quoque curiositatem in nouis conquirendis, quæ Reipub. non conducunt, lucrorum legum memor.

CCLXXIX. Aulicus itaque omnes historias de priuatis iudiciis scriptas, vel incertitudine mendosiores factas reiiciat, ac eligat eorum, qui vel ipsi præfuerunt rebus, vel cum iis qui gesserunt vel familiariter vel domestice vixerunt.

Quis enim reliquis non præferret Thucididem, Polybium, Dionem, Tacitum, Salustium, Cominæum, Guicciardinum, Monachis, hominibus de schola & de ambone nugas vendentibus. Aulici Consiliarii ipsi Assueri conscribebant Historias: & nostri exemplo Nehemiæ facere debent, tum Cuspiniani, Cominæi, Thuani. Achilles plus ne fecit quam placuit stylo Homeri.

CCLXXX. Ars hæc est aliquorum, qui maximè aliquid cupiunt, vt speciem recusantium induant, quo enixius rogētur id suscipere, quod flagrantissimè cupiunt aulico more, & frequenti, quod est ἀκκίζειν id est accissare & accismus ficta recusatio dicitur. Noui precibus & muneribus aliquot, legationem obtinentes, prætendisse coactos iter suscepisse.

CCLXXXI. Sunt

CCLXXXI. Sunt quoque aulici, qui optant, imò manibus pedibusq; laborant, vt iter cum principe ingredi queant; eo confecto, conqueruntur multas molestias, multa negotia oneri fuisse, vestes consumptas, equos perditos. Fuge illos, quibus hoc vnicum studium, verba dare, vt caute possint, pugnare dolose, insidiasq; per tertium facere, ingerunt se non tantum ostentando, sed emendo. Nouimus: O sordidi amatores nugarum, o capaces scelerum mentes.

CCLXXXII. Nunquam successor in officio aulico intermittat solita munia; Nam eo non obseruato, serui & subditi lasciuiunt, & Politicus contemnitur in aula.

CCLXXXIII. Initia omnium Principatuum gratiarum sunt plena, & qui nondum confirmatus est in solio omnium animos demereri solet, nihil alicui negãdo, quod in aulis malitiosè obseruant, rei familiari operam dantes: improbi aulici.

CCLXXXIV. Imperiti sunt, qui improbant in politico aulico, & in milite eloquentiam. Omnes enim vere Politicos & milites memoria repetamus, inueniemus præcipuos fuisse eloquentissimos. Norunt enim ex Aristotele Eloquentiam esse vitæ gubernatricem, coniunctam cum sapientia. Abiiciant ergo aulici falsam de ea re opinionem, & quanta sit vis Eloquentiæ considerent: tum in aula nullam sapientiam in pretio esse, nisi quę pompam, imò quandoque impudentiam habet. O male. Illa enim versutiam pro prudentia colit. Multo melius est duobus imperfectis rusticitatem habere sanctam, quam eloquentiam peccatricem, S. Hieronymo teste.

CCLXXXV. In aulis sœpe quod preces non possunt in lite componenda, minæ operantur in principum mininistris: sed minas verbo Dei propositas ne negligãt suadeo.

CCLXXXVI. Populi & multitudinis furor nemini,

quamuis illuſtri & claro aulico parcit, & ſœpius in eos, qui authoritate pollent, accenditur. Cede itaque furori.

CCLXXXVII. Ad magna facinora perpetranda nunquam non tenebræ noctis deliguntur ab aulicis & militibus. Prudenter itaque Homerus *Odyſſ. 12.* monebat: *Nocti non fidendum.* Noctem enim peccatis & fraudibus nubem obiciunt: & tamen fruſtra. *Pſalm. 139. v. 6.*

CCLXXXVIII. Aulici ad ſedandos tumultus aptiſſimi ſunt ipſi, qui bonis artibus grati in vulgus ſunt, qui quidem ſemper rari, diligenter itaque ex aulicis eligendi. Facile quoque eſt vilem plebeculam & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quicquid non intelligit, admiratur.

CCLXXXVIIII. Aulicus, qui vult compeſcere ſeditionem is quam celerrimè, iuſte tamen tollat è medio capita eius, & quidem prompto ingenio ad aſperiora.

CCXC. Aulicus, qui populi ſtudium & fauorem poſſidere deſiderat, is ante omnia ingenium ciuile & comitatem præ ſe ferre debet, non tamen affectatam. Abſolon infeliciter obſeruauit.

CCXCI. Muliebres diſſenſiones ſœpe inter maritos ſe proximos accedunt & alienant, negligat itaque aulicus muliebres altercationes.

CCXCII. Muliebres aulicæ non ſemper probæ ſunt.

Hieronymo enim teste.

Malarum fœmina, cum artes ſunt, doli, fraudes, veneficia, mala medicamenta.

Liuia virum ſuum nonne interfecit? nonne & aliæ? Fornicationum, lœnociniorum hiſtoriis, facetiis, cantilenis, non ſunt incitandæ.

CCXCIII. Quam-

CCXCIII. Quamuis, Homero teste, pauci filij patribus similes sint: tamen non raro euenit, vt clarissimis parentibus geniti, magnos spiritus quasi hereditariè gerant, ac retineant aulici.

CCXCIV. Aulici boni nouerunt & vsus contra Macchiauellum, ostendit, priuatas subditorum discordias, nisi continua Principis vigilantia extinguantur, ipsi & Reipublicæ exitium parere.

CCXCV. Haud dubie quando sunt res commotæ, habetur potior is, qui audacia est magis promptus in aula. Crescit vegetum cor, simul atque difficultas. Audacia honesta, ex sententia Homeri, virum decet. Timor, pudor ac verecundia, aulico peregrino, & Mendico non conducit.

CCXCVI. Cum tria sint vincula, quæ homines à malefaciendo deterreant, Religio, Pudor & Pœna: Vltimum quod legibus imponitur, firmius est cœteris duobus, imprimis in aula.

CCCXVII. Circumspectè laboret aulicus, vt peritiam morum Principis, cui inseruit, adquirat: & Princeps talem obseruet, eique ne fidat omnia acta Principis probanti: Sed ipse arcana premat.

CCXCVIII. In aula, cuius facta discordant verbis, ei nunquam fidas iuranti: quod enim loquitur, id semper sapiens debet agere, inquit Seneca:

Verum enim illud:

Quæ non facias, dicere, id est, quod es necesse
Nec quæ facias, dicere, fortis aut modeste est:
Verba erubescunt factis deficientibus.

CCXCIX. Coercendi sunt aulici, etsi concionatores sint, qui viros & fœminas procacibus scriptis & verbis ignominiosis diffamant.

CCC. Viriliter agit ille, qui omnibus in fœdum seruitium & deformem pestilentemq; adulationem, meretricem aulicam, lapsis, virtute & constantia solus aduersatur, iniquo aulicorum iudicio & peruersæ opinioni. Ethai peregrinus Dauidem in vita & morte sequi volebat. *Nouem vbi sunt?*

CCCI. QVamuis obtrectatio & liuor in aulis pronis auribus accipiuntur & calumniis omnes congressus & conuiuia & colloquia scatent & fœtent, tamen viriliter aulicus ille agat, neque moueatur. Gladiatores ars tuetur, ira denudat. masculè tamen retundat.

CCCII. Quæ cum aliqua perturbatione in aulis fiunt, ea nec constanter fieri possunt, nec iis qui adsunt probari prudentibus: non tamen ea de quibus leges non extant, omnia ad amussim sunt reuocanda. Legimus Ciceronem Catoni succensere solitum, quod cum corruptissimo seculo viueret, in sententiis dicendis adeo seuerus esset: ac si in Platonis Repub. versaretur. Errat in aula qui perfectionem quærit. Et qui cum insanis non insanit is insanit.

CCCIII. Quem tibi vis fidum aulicum, ei vt sis fidus stude: Nam falso queritur se deceptum, qui prius alium decepit.

CCCIV. Aulici praui, qui æmulum amoueri volunt, eum sub specie honoris, bene à doctrina, judicio & virtute commendatum alio amandant, vbi res sunt perturbatæ: ita aulici Saulis Dauidem præfectum militiæ constitutum amandabant. Qui laudant simulatione aulica maiori odio prosequantur quam inimicissimos. Et tamen aliquid humanitus passos deplorant: Sic licet florentes priuignos cum per occultum subuertisset, misericordiam erga afflictos palam ostentabat Tacito teste.

CCCV. In aula res magni momenti quas Principi exponere non possumus, eas per illos Principi monstrare de-

bemus

bemus, quibus cum illo maior est conuersatio. Nullus enim est Abbas, quem non regat vnus ex Monachis etiam prudentissimum.

CCCVI. Ut aula res est vetustissima, sic vetus malum aulæ & Reipublicæ inesse Tacitus rectè dicebat adulationem perpetuum malum: (Q. Curtio authore:) Principum quorum opes sœpius assentatio quam hostes euertit: & abundant omnibus rebus in aula, excepta veritate: Est itaque propria & singularis SEDES aularum Adulatio, frustra Menapio contradicente. Quid Neronem castissime educatum crudelem fecit? adulatio.

Quid Cæsarem contra Patriam rebellare fecit? adulatio. Quid Rehobuam Tyrannum fecit? adulatio. Philippi Imperium quid euertit? adulatio, quid Alexandrum Deũ fieri, adulatio. Quid Xerxem? quid Dionysium? quid Crassum? perdidit Adulatio vel adollatio vel adaulatio.

Ariosto Cant. 35. stan. 20.

E come qua su i corri e gli auoltori
E le mulachie e gli altri varij augelli
S'affatican tutti per trar fuori
De l'acqua i nomi che veggion piu belli:
Cosi la giu, ruffiani, adulatori,
Buffon, Cinedi, accusatori, e quelli
Che viuono a le corti e che vi sono "
Piu grati, aßai ch' el virtuoso e'l buono. "
E son chiamati Cortigian gentili:
Perche sanno imitar l'asino e'l Ciacco
De' lor Signor tratto, che n'habbia i fili
La giusta Parca, anzi Venere e Bacco
Questi di ch'ioti dico, inerti e vili
Nati solo ad empir di cibo il sacco
Portano in bocca qualche giorno il nome
Poi ne l'oblio lascian cader la Some.

Melius eſt in Κόρακας quam Κόλακας incidere, quia Corui mortuos, adulatores viuos lacerant miſere.

CCCVII. In aula igitur vnus Clytus præferendus Sexcentis Ariſtippis. Adulatoris enim lingua, quæ Principem immodicis laudibus onerat, & vitiis virtutum imponit nomina, nocentior eſt, quam lingua conuiciatoris. Adulantis enim oratio, Seneca teſte, efficit vt vera ſint conuitia conuiciantis: & conuitio dignus eſt, qui adulationis veneno deterior factus eſt.

Proprium eſt laudare Principes in os ac faciem.

Adulatores eadem laudant & vituperant quæ Domiminus admirantius illos & maximis conferunt quoad formam, ad potentiam, ad ſapientiam, ad magnificentiam:

Plumas pilos floccos de veſtilenis ſublegunt. Geſtus fingunt ad occurſum illorum.

Mutant mores vt Polypius:

Mores, veſtitum inceſſum, aſſumant.

Cum fortuna cedunt, & eam ſequantur: Clamabant Aſſueri adulatores: iuſta eſt Regis indignatio.

Vera adulatio eſt cum non vere ſed ficte nos accommodamus ad alterius voluntatem ac beneplacitum, vt reportemus aliquid gratiæ, pecuniæ, honorum & in ſumma, commodi temporarii: Craſſa & plumbea eſt adulatio & ruſtica: *Ait ajo, negat nego*, eam etiam ſimplices obſeruant: Sed is eſt ſubtilis adulator, qui cum maximè aduletur, tamen eam præ ſe ferat ſpeciem libertatis, vt poſſit videri & dici, non adulari, ſed potius refragari, Nocentiſſimum eſſe genus Iniuſtitiæ, ſi quis Iniuſtitiam ſuam ita tegat vt videri poſſit Iuſtus, &c.

CCCVIII. Adulatio in aulis etſi multa procreet commoda, tamen ſemper eſt fœdiſſima, in primis in ſenibus, & inimiciſſima exiſtimationi, & tractu temporis infamiam affert: vitent itaque beſtiam iſtam ipſi viri boni, qui

ſunt

ſunt in aulis. Aulicorum adulatorum oratio picta & elegans videtur vera eſſe, omnino tamen fallax eſt ad inſidias & fraudes inſtructa.

Student ad nutum heri ſeruiendo blandiſſime fallant.

CCCIX. Qui probi, qui potentes, qui magni cupiunt eſſe & haberi aulici, honeſtate non malitia alios debent ſuperare: boni volunt eſſe, mali itaque non ſint. Nemo malus niſi ſtultus.

CCCX. Antiquiſſimum eſt præceptum, aulicum neminem offendere debere, in aula enim lenta ſunt beneficia & iniuriæ præcipites: imo ſuſpiciones lædendi vitet; abeunt enim in offenſas, quas omnes ſi non poterit amolire, publice ſe excuſet.

CCCXI. Dignus tamen eſt excuſatione, qui lædit errore inſcitiæ, in curia & negligentia.

CCCXII. QVinque ſunt quæ turbant aulam & omnem Rempublicam;

Falſus iudex in Conſiſtorio.
Fraudulentus mercator in foro.
Sacerdos auarus in templo.
Pulchrum ſcortum in proſtibulo.
In aulis Principum adulatio.

CCCXIII. Abuſiones enim ſeculi perperam Cypriano aſſcriptæ, locum quoque in aulis habent:

1 *Sine bonis operibus, ſapiens & concionator:*
2 *Sine religione ſenex.*
3 *Adoleſcens ſine obedientia.*
4 *Diues ſine Eleemoſyna.*
5 *Fœmina ſine pudicitia.*
6 *Dominus ſine virtute.*
7 *Chriſtianus contentioſus.*

8 *Pauper superbus.*
9 *Rex iniquus.*
10 *Episcopus negligens.*
11 *Plebs sine disciplina.*
12 *Populus sine lege.*

CCCXIV. Aulicus qui sperat, se breui aliquam dignitatem adepturum, cauere ab superbiæ ostentatione, imo humilius se gerere debet: sic enim & illius, à quo dignitatem expectat, gratiam conseruabit, & communem aularũ pestem inuidiam effugiet.

CCCXV. Qui considerat secum, quam omnis dignitas sit vana & instabilis, is nihil timebit.

CCCXVI. Aulicus quando quid à Principe consequi studet, id ita potest vt vnius ipsius Principis neque cuiusdã gratia id beneficium consecutum se fuisse appareat & illi soli acceptum id referat, vt supra. QVOD enim bene dicitur repetere non nocet, teste Platone.

CCCXVII. Qui in petendis pecuniis rarò sibi ipsis sciunt imponere modum aulici, & quorum pectora vrit atrox cura, ab aula tanquam auari & puras manus non habentes, remoueantur: Nisi tanquam debitum exigant. Aurum votis omnium, Xenephonte teste, expetitur: Verum non habent sed habentur. Plus est frui posse rectè quam posse parare.

CCCXVIII. *Aurum lapide, ast homines judicantur auro.*
Auro coquitur, soluitur, impurus homo fit.

Et vt Prudentius in vita S. Laurentij dicit: *pudor per aurum soluitur: violatur auro integritas: pax occidit, fides perit: Leges & ipsæ intercidunt: si quæris aurum verius: Lux est & humanum genus.*

CCCXIX. In auaro enim simul concurrunt cordis duritia, inquietudo mentis, violentia, fallacia, periurium, fraus & proditio. Rei familiari operam dare honestum est,

sed

sed turpiter id faciunt plerique aulici, qui neque certos fines ponunt, & cum iniuria aliorum fortunas quærunt, & amplificant suas & in ipsam patriam, principem & amicissimos iniurii sunt: Veri itaque aulici ne sint inter hiantes illas aues & relinquant acutum appetentis æstum improbis: dicant cum imperatore, *Pietas nostra non exigit talia.*

CCCXX. Neque auaro diuturna vita est optanda iuxta illud:

Qui scribit tibi, viue diu, non fausta precatur
Nam miseram vitam semper auarus habet.

CCCXXI. Aulicus Christianus patrimonium suum Deo credat, *& creditum*, vt Cyprianus loquitur, *nec Respub. eripit, nec fiscus inuadit, nec calumnia forensis euertit: in tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode seruatur.*

Optimam partem elegit quæ non auferetur ab eo, nec domo eius: vincit cum perdere putatur: & perdit perfidia cum se vicisse gratulatur.

CCCXXII. Licet Ludouicus XI. Rex Galliæ metu coactus suo Medico opimum menstruum stipendium, videlicet decem aureorum millia dederit: tamen nunquã in animum inducat sibi aulicus, quod velit extorquere aliquid à Principe ac velut perfringere ærarium: siue det, siue neget petita, æquo animo vtrumque ferat.

Est enim prouerbium tritum in splendidissimis etiam epulis, existere semper aliquos, qui minus bene tractentur. Idem vsu venit in aula, dum alii quod volunt adipiscuntur, alii spe & expectatione decidunt.

CCCXXIII. Dicet aulicus cum Euandro, atque quidem ad se ipsum, vt ille ad Æneam conuersus.

Aude hospes, contemnere opes, & te quoq; dignum
Finge Deo:

CCCXXIV. Scipio miles, vt historia docet, toto

tempore vitæ nihil emit, nihil vendidit, nihil ædificauit, & moriens nomen magnum, opes exiguas reliquit. Abraham quoq; in terra promissa, præter sepulchrũ nihil emit: Ignauæ inertesq; aues vt Phasides meliorem delicatiorem & varii generis carnem habent: Philomela exiguam nemini gratam, cum auidam famen ea repellere nequeas: habet enim præter vocem & plumas nihil.

CCCXXV. Si tu credis præmia inæqualia tum bonorum tum honorum in aula tribui, & pro meriti tui ratione honores exigis: ante omnia inquiras quis sis: & quantus, & tunc institue querelas: ne te turpitudo propria repellat. Honores in homine inepto corrumpuntur vt cibus in malo stomacho.

CCCXXVI. Manibus & pedibus, vt dicitur, laboret aulicus, ne videatur Principi ignauus & nullius ponderis: talem namque tanquam onerosum auersabitur. Sint itaque vtiles aulici non tineæ & sorices Palatii: in recte tamen faciendo, non in malitiosè congerenda mulcta & eius modis inquirendis.

CCCXXVII. Conficiat aulicus Diarium & protocollum, in quo ardua negotia, consultationum vota, successum & exitum conscribat, quo etiam post multos annos feliciter vti poterit.

CCCXXVIII. Aulicus qui ærario præest, operã det, vt salua iustitia & honestate ampliet ærarium, sordida vitet, nec maculet sordidissimus Rempub. & principis maiestatem, & ne sit latronibus perniciosior.

CCCXXIX. Haman præmittebat 60. tonnas auri ærario inferendas, sublata & extincta gente Iudaica. Quid ex India? Aulici Oeconomi, Principum Quæstores Cameræ præfecti, plerumque Harpalum imitantur, qui cũ fuisset custos thesaurorum Alexandri, cum magnis furtis in Græciam fugit & Achonis hospitium petiuit: cum eo quærunt in

aulis aliquem Demosthenē cui dent poculum & viginti talenta hoc est duodecim millia Coronatorum vt euadant: Qui quidem Patronis quandoque damnatur, sed raro exilio mulctatur. Quamobrem Principibus nihil vtilius ex fidelibus amicis ac ministris: tales habebat Dauid in Asmeueth & Ionatha.

CCCXXX. Fallaces & versati aulici quando rem aliquam disseminare cupiunt, per secreti socios eam primum occultis sermonibus crebescere curent, deinde vago rumore apud imperitissimi cuiusque aures, & rursus apud turbidos & noua cupientes: mox ipsi authores prodeant, & extremam imponant manum.

Quod ex Tacito sæpius & nouissimè feliciter practicatum scimus.

CCCXXXI. Prudentiæ aulicæ & Politices cognitio adquiritur varia lectione, continua actione, insigni experientia, longa ætate, peregrinatione multorum populorum, aularum & Rerumpubl. contemplatione: sed hodie „ figulariam in ipso vase discunt, inquit Plato *in Rhetoricis*. „

CCCXXXII. Nemo se aulicum Politicum profiteri audebit, cui imperii, in quo versatur, leges sunt incognitæ, incognitum ius priuatum in iure priuato. Priuatus potest ignorare ius publicum & arcana Imperii, sed non contra. Qualis enim suasor in publicis esse poterit, rerum priuatarum ignarus?

CCCXXXIII. Non tamen talem intelligimus Politicum, qualem hodie fingunt inepti, & describit malitiosè Stapletonus in *oratione quadā quodlibetica*: tales enim exterminandi sunt. Illi qui veri Christiani non sunt in quibus Ethnicorum reuixit spiritus, non in schola Christi, sed Machemeti edocti.

CCCIV. Verum anno 1568. primum politici nomen

in odium à Gallis tractum refert Thuanus, & grassante licentia postea concionatores supra, modum in illos debacchatos fuisse, scilicet optimates pacis, qua religio & publica securitas continetur, studiosos, eò & inprimis virum egregium & moderatissimum hospitalium notantes.

CCCXXXV. Non eousque vera politica fimbrias extendunt, vt putent Christianæ religioni pacem Reipubl. libidines principum, rerum temporalium incrementa & conseruationem anteferendam vel Reipubl. statum antiquiorem quam fidei causam habendam, vel omnia media qualiacumque sint adhibenda, vt statum conserues: quæ si admiseris & leuiter rimam aperueris, quis finis aut modus erit perfidiæ, iniustitiæ, impietatis, & omnia mala agmine in Remp. erumpent.

CCCXXXVI. Politicis in id incumbendum vt tantum ea tradant, quæ à priscis sapientibus Iudæis, Græcis Romanis, Italis, Gallis, Hispanis acceperunt, quæque in ipso vitæ vsu semper recta esse deprehenderunt prudẽtes, vt eo pacto salutem generis mortalium procurent, ac profundam quietem promoueant & religionem puram & simplicem defendant, quam sciunt non ad ostentationem scientiæ, sed legem vitæ docendam: Ridiculi politici, si non amici Christi discipuli & fratres manserint.

CCCXXXVII. Aulici in hac morum corruptione & licentia omnium rerum putant satis esse, si ad negotia Regum, Principum & aliorum adferant ingenii dexteritatem, linguarum qualemcunque cognitionem ac calliditatem quæ fortasse sufficerent, si nihil differentiæ statuendum inter illos seruos qui Comædiis adhibentur agendis: Vnde tot asini in pelle Leonis.

CCCXXXVIII. Prudens aulicus semper sit in occasionem paratus, sine ea enim virtus languescit & iacet. Ce-

lebra-

lebratur inter septem sapientum apothegmata γνῶθι σε αυτον *Noueris teipsum*, quo ad opes, ad corpus, ad animum.

CCCXXXIX. Occasiones enim sunt rerum gerendarum materia & ex difficilimis reddunt facilima & impossibilibus possibilia, ex periculosis quieta, ex malis bona. Docebat hoc Esther.

CCCXL. Quod si se aulico non obiiecerint, patienter expectet & aduertat ne anticipando se aulicus præcipitet: bene electa, ac prudenter, plerumque aliam generat & suppeditat.

CCCXLI. Aulicus operam dabit vt omnes principes aliquo officio colat, dummodo non sint inimici illius cui necessario inseruit alioquin illis inuisus redditur: & si non omnibus potest obsequium præstare, saltem illos non contemnat, & talem euitet suspicionem: in tot enim humanis mutationibus potest is, qui hodie rerum potitur extingui, & alius, de quo non cogitaris, succedere.

CCCXLII. Aulicus apprimè obsequiosus esse debet, eo enim ipso gratiam hominum colligit, & collectam retinet.

Recte enim Tacitus inquit: *Quãto quis q; promptior obsequio, tanto citius honoribus & opibus extolletur.* Monstrabo itaque ‹‹
aulico amatorium sine medicamento, sine herba, sine vl- ‹‹
lius veneficæ carmine, inquit Seneca: *Si vis amari ama.* Ad nutum heri seruiendo blandissime fallit.

CCCXLIII. Alea cum ex prudentum sententia, res turpis sit, & à sapientissimis quibusque semper damnata, quod Ouidius opinatur.

Sunt etiam scriptæ, quibus alea luditur artes,
Hoc est ad vestros non leue crimen auos.

CCCXLIV. Eam aulicus cum Principe cui inseruit vel alium lusum, non facilè exerceat. Prouocatus tamen legatus chartis, lusu ingenioso Schachorum vel latrunculatorum

latorum vel alio genere Principi ad quem missus est in hoc negotio vix refragari debet. Magnificentiæ & opes ludis amittuntur, non nisi rarissimè quæruntur. Condimentum negotii publici est prudentia & grauitas non iocus.

CCCXLV. Similis enim simili gaudet, lusoribus lusores, equitibus equites, ebriosis & potatoribus strenui potatores, animosis animosi, superbis superbi, auaris auari, doctis docti: grati & accepti. Similitudo morum, prouocat similes ad amorem Ouidio teste: *oderunt hilarem tristes tristemque iocosi.*

CCCXLVI. Quæ regula est pertuta, idcirco feliciter practicāda. Nā omne animal diligit sibi simile, & omnis homo similē, & omnis caro ad similē sibi coniungitur: Superbus tā plerumque superbum ferre nequit: cupit esse solus: Sic nominum communitas sociat homines.

CCCXLVII. Aulicus Politicus Reipub. salutem anteponere debet omnibus priuatis commodis affectibus iniuriis, adeò, vt priuata nihil æstimet.

CCCXLVIII. Quilibet prudens aulicus discat, vt loquitur Annibal Scotus, crassum bibere, perferat acerba omnia quo vsque ad finem suum perueniat, patienter & recta via ad dignitatem expetitam ascendat, iram & effectus corrigat, inprimis in actionibus, & multò rectius est, vt agat, quod agit, vbi animus deferbuerit, Galeno authore, nec furor ille brutus ipsum occupet, tum inveniet, quod cum ratione pugnet.

CCCXLIX. Aulicus è cœtu priscorum aulicorū deligere debet talē, qui quasi quodam in speculo omnifariam instituendæ vitæ normam imitandam concedat, iste perfectissime omnes actiones ad perfectum gradum citissime expeditissimeque conducit, quo vel nunquam vel serius,

rius , quam par sit , noui aulici ingenium perduxisset.]

CCCL. Sic Camillos & Fabricios, Scipiones Roma: Sic Philosophi Socratē, Platonem , Aristotelē, Poetæ Homerum, Virgilium, Horatiū: Historici Thucididem, Salustium, Herodotum , Liuiū: Sic Oratores Demosthenē, Ciceronē sibi proponebant & imitabantur: Sic milites Annibalē, Fabiū, Scipionē, Alexandrum, Heinricum 4. Regem Galliæ: Principem Mauritium Nassouiensem.

CCCLI. Nam aulici, qui ascendere & crescere optamus, personas egregias nobis ad imitādū proponere debemus: quoniam altius ibunt qui ad summa nituntur quā qui præsumpta desperatione , quo velint euadendi protinus circa ima substiterint. Pueros scribere docētes illis perfectissima exemplaria & formularia præscribunt, quæ si illi æquè benè reddere nequeunt , ad illa tamen exprimenda, quantum licet adspirant: Sic in saltando, equitando , digladiando: Nauigantibus ad aliquod sydus , cursus est dirigendus, & nauigantes cynosuram inspiciunt, tu inspicias præstātissimos viros & fœliciter nauigabis. Quid faciendum sit, à faciente discas.

CCCLII. Etsi sumendi vltionem occasio optima sit in aulis de inimico , cum eius res sint dubiæ, tamen vir bonus & magnanimus nunquam hoc committere debet. Fœdum spectaculum est homo , qui quid per vindictam & iram indecore seque indignum gerit:

Magnanimo nihil nocetur,
Ne vlcisci damnum, imo satis sit potuisse
Ignoscere vindicta viro maxima forti est.

CCCLIII. Cum à debiliore latere filum rumpatur, validiores in aulis nunquam sunt irritandi: *non enim hodie vel heri hoc fieri incipit,* inquit Thucyd: *Sed semper accidit, vt infirmior potentiori subiaceat.*

CCCLIV. Deteſtandi ſunt malitioſi aulici & è medio tollendi, qui virum bonum, clarum, innocentem non conuictum, imò, ne quidem legitimè accuſatum interficiunt & euertunt, vel in carcerem coniiciunt, & poſtea ſceleris & proditionis eundem incuſant. Pyratæ raró nauem vacuam ſed onuſtam bonis aggrediuntur.

CCCXLV. Aulicus Principi & amicis ne ſit author vt facilè litigent. Litium enim hodie nullus finis: Etiam in iuſtiſſima cauſa potius acceptet dimidiam partem, quam totam litigando ad centum annos: vel vt iuramenta calumniæ & ſimilia præſtet.

Quis non putet hæc omnia fortuita caſum
Miſcere? videns candida ſubiugata nigris
Tenebraſq́, diem, tum fieri diem tenebras.
Deſcende; polo aut æthere flamma devoratrix.
Et purifica pectora iudicium nocentum.

Scaliger.

CCCLVI. Aulicus prudens piuſque Principi nunquam ſit author vt veteres lites, cauſaſque excitet ſub prætextu, quod bello occupatus & aliis diſtentus negotiis vel á conſiliariis anteceſſores admoniti non fuerint: inprimis ſi præſcriptio interuenerit.

Sic illi, *Meſſanam tenuimus amplius quadraginta annis.* Et Iephites reſpondit Ammonitarum Regi: *Dum habitauit Iſrael in omnibus illis ciuitatibus trecentos annos, quare nō eripuiſtis eas tempore illo?*

CCCLVII. Aulicus ne ſubſcribat Panormitano & aliis adulatoribus, priuilegium etiam oneroſo titulo quæſitum, reuocari poſſe: Si poſtea nocere incipiat concedenti: „ eſt enim priuilegium, quo accipientis conditio fit melior „ & dantis deterior.

„ Malitioſus tamen & auarus eſt aulicus, qui mendaciis „ compoſitis bonam cauſam Principis malam aſſerit vt Prin-

cipem

cipem ad transigendum adducat & moueat. Bonum est dum adhuc stat nauis in portu, præcauere tempestatem futuram & non eo tempore quo in medias irrueris procellas trepidare, sit itaque author Principi aulicus: vt commode, vt vtiliter, vt cum reputatione transigat: & potius transigat quam bellum gerat.

CCCLVIII. Aulicus quocunque potest pacto impediat, ne extra necessitatis casum Princeps subditis onera & tributa, quæ sunt nerui Reipub. imponat: & exigat ad eberitatem, superbiam corrigendam & vitia eradicanda. Sed aulici Pomposi ergo omissis plerumque occupati sunt in parergis, vti in exactionibus, in non necessariis ædificationibus, pompis, inuētionibus & ludis Equestribus, venationibus cōuiuiis sumtuosis & in excogitandis vestium nouis formas neglecta salute Reipub. ac Oeconomia necessaria gubernationis parte.

CCCLIX. Aulicus operam det ne dicatur vel videatur consilia suppeditasse etiam belli iustissimi suscipiendi: Si vero Princeps & amici vnanimi consensu & consilio, vrgēte necessitate susceperint viriliter ope, auxilio & consilio iuuet.

Cæterum curandum aulicis & vicinis populis, vt pax inter vicinos populos colatur, Thucid. suadente: & ne illorū libertas diminuatur.

CCCLX. Aulici cura in eo sit posita, vt vicini Principis potentioris coniunctio & amicitia conseruetur, nec eius libertas diminuatur: meluis intelligebat Abigail quā Nabal: vbi perpetua concordia, ibi crescit imperium, Liuio teste, & pax auget potentiam, Prophetæ authore Nahum.

CCCLXI. Aulicus historiam, hoc est exordium, incrementum Reipub. in qua versatur & vicini ad amussim,

tum fines, iura, mores, locum, naturam, potentiam & impotentiam probè teneat.

CCCLXII. Aulici adeò improbi & sceleſtiſſimi reperiuntur eouſque Principibus & ærario adulantes, vt etiã iuſtitiam, Sacerdotia & ſacerdotum officia venalia exponant: quem murum integritatis aut vallum fidei habebimus, ſi auri ſacra fames in penetralia veneranda proſerpat. Ceſſet imminere aulicis negotiis ac officiis ſacris profanus ardor auaritiæ. Tales aulici & Chriſtum cum Apoſtolis, ſi haberent, venderent.

Vendat illos, antequam te ipſum vendant.
Quid faciant leges vbi ſola pecunia regnat.
Aut vbi paupertas vincere nulla poteſt.

CCCLXIII. Malitioſum dixit Stapletonum inter aulicos & Politicos improbos & probos non diſtinguentem: Improbos enim nemo probus probat.

CCCLXIV. Tum illos, qui receſſus à præmortuis Principibus legitimè factos lædunt, euertunt, retractant, auro corrupti: qui Principum libidines, iniquas leges, rerum tẽporalium affluentiam, conſeruationem, incrementa publicæ vtilitati, animæ & toti Chriſtianæ religioni anteponunt.

Debuiſſet itaque moroſus ſenex reſtrinxiſſe axiomata prolata. Quia quæ ille improbis Politicis aſſcribit, eadem iure multis Ieſuitis & maiora aſſcribere poſſumus, inter quos tamen bonos eſſe ſperamus.

CCCLXV. Probi ſunt & in ſchola Chriſti educati & præceptis ſpiritus ſancti imbuti, aſſerẽtes: neminem ad Religionem cogendum exiliis, proſcriptionibus, ſubſcriptionibus, ferro, igni, priuatione dignitatis, ac affirmantes, nullum Regem, nullum Principem, nullum priuatum, ob diſcrepantis religionis dogmata, quæ non fidei, ſed diſciplinæ, exercitii & factionis ſunt veneno, gladio, proditorie

vel vi, vel clam remouendum, impii sunt contradicentes. Nihil tamen frequentius est, quam asscribere alicui ad aulam vocato contentiosum dogma in ista aula non receptum.

Corpora de loco in locum transferre, animos non poteris inuitos: citius lapides aut ligna vocem emittere. Non est Rex aut Imperator, qui adigat nos facere ea quæ non decreuimus. ô immisericors superstitionis iugum.

CCCLXVI. Discernat itaque prudens politicos, nec more vulgi definiat politicum. Vir bonus qui non est, quo pacto politicus erit?

CCCLXVII. Politicus sapere recte, dicere vere, & facere probè sciat. Vt enim non sunt milites, qui in conuiuiis egregiè potantes exercitum ducunt, vbi castra locāda sint, disputant, quæ loca præsidiis occupanda: quando & quo pacto cum hoste manus sint conserendæ.

CCCLXVIII. Sic neque Politici illi, qui Politicam artē dicendi vel scribendi & non faciendi existimant, vel tantum versutia & calliditate pro prudentia vtuntur.

CCLXIX. Sed hodie pueri & puerorum Reges volunt dici politici, disputantes de rebus Politicis, quas nunquam attigerunt ineptuli. Quemadmodam infantes legatos vocatos monet Poeta Iuuenalis:

—— infans ——
—— legatus fiet amici: puerilitas est.

CCCLXX. Aulici illi, qui Rempub. turbare, bonos eiicere, & summam rerum tenere cupiunt, socios sibi eos adiungunt, qui ante honorum auidi, crescere in Republ. non potuerunt.

CCCLXXI. Cautus aulicus semper se grauem in credendo & sperando præstet, nec omnia pro veris, nec omnia pro falsis habeat, sed aliquid minus credat illarum rerum, quæ promittuntur in aula.

CCCLXXII. In aula res malè se habet, quando è licentia deterrima cuique excitādi impune probra, calumnias & mendacia, inuidiamque in mortuum magistratum & relictos viuos ministros conceditur. cursus calumnia velocissimus:

CCCLXXIII. In negotiis Principum aulicum oportet insistere in inceptis & destinatis. Parum enim est res magnas rectè aggredi, nisi obstinatè ad finem vsque eas prosequamur.

CCCLXXIV, Nec temere incipio, nec cito desisto. Multa enim Liuio monente, sicut non aggredienda, ita semel aggressis, non dimittenda: quia magna famæ momenta in vtramque partem fiunt. Breuissimi enim temporis inconstantia totius per sæpè vitæ fidem auferre, dicebat Libanius Sophista.

CCCLXXV. Præclare actum est cum aulico, si patitur propter exactam obseruationem constitutionum præmortui Principis, & propter fidei confessionem: Potest enim cum Dauide canere:

Vera fides facit, vt loquar & quia dogmata spargam:
Hinc premor & plagas, probraq; multa fero.

Ibant, inquit scriptura, *gaudentes à conspectu concilii, quod digni habiti essent, pro nomine Iesu pati.* Magnanimi Christiani ne timeant syllogissimos à Romana Ecclesia oppositos ex igne, aqua, vel laqueo confectos, in quibus mors necessario ingreditur conclusionem.

CCCLXXVI. *Quid enim*, inquit M. Tullius, *laudabilius, quam memoria rectè factorum & libertate contentum negligere humana: si secuta fuerit, quæ debet, fortuna, gaudebimus: Sin minus, Ego tamen gaudebo; quamuis qui fuerim, & qui esse potuerim esse non possim. Non tamen in tali loco manebis, vbi non es qui*
" *fueris, non est cur velis viuere, sed tamen vacare culpa magnum*
" *solatium: cum maxime habeam duas res: quibus me sustentem: opti-*

marum

marum rerum scientiam, & maximarum rerum gloriam : inquit Cicero.

CCCLXXVII. Et contemtus inde ortus est contemnendus ad recta vadenti, vbi tamen honor non est, ibi contemtus est: *vbi contemtus, ibi frequens iniuria, vbi iniuria ibi indignatio, vbi indignatio, ibi quies nulla: vbi quies non est, ibi mens à proposito deducitur*, inquit S. Hieronymus.*

CCCLXXVIII. Patientia contumeliarum ingens est instrumentum ad victoriam in aula obtinendam: modo saluo honore ea vtamur, seruus sit, vt Dominus fiat.

CCCLXXIX. Operam dabit Aulicus, ne, dum alios in obsequio vincere studet, in adulationem turpiter prolabatur:

Attamen

Obsequium raro, crebrius ira nocet.

CCCLXXX. Gradu dignitatis deiecti fortius agunt, modo res familiaris patitur, vt in otio priuato degant, quā vt minores honores prioribus assumant, vel Principis inferioris aulam adeant, nisi talis potentiorem prudentia & authoritate superet.

CCCLXXXI. Prudens aulicus concordiam & amicitiam inter Principem, fratres, sorores, Principis generare potius studeat, quam dissensiones excitare: Dissentientium animos rursus coniungant, vt Ioab, Dauidis & Absolonis.

CCCLXXXII. Aulicus verus inhonesta in Principis gratiam, etiam quocunque velo vestita ne expediat, ne maiorum laudem & propriam dehonestet.

Errarunt enim valde, qui spe lucri, honorum vindictæ " cupiditate subdolis & proditoriis artibus emergere, & cre- " scere voluerunt, & tandem proditione peracta dignam " mercedem perfidiæ & proditionis tales accepisse infinitæ "

historiæ docent. Docent te hoc serui Saulis recusantes homicidium sacerdotum.

CCCLXXXIII. Turpius agunt illi, qui iussiones indignas exactiones, mulctas annunciăt collegis, subditis, Nobilibus vel aliis bonis viris iniustas: eo enim ipso ostendunt animum corruptum, vel auri ardore vel gratiæ studio, vel
„ adulationis malo, cum illi qui sunt à latere Principi, nihil
„ expedire sed excusationem proponere debeant, quod pu-
„ gnet cum honesto, licet vtile sit: *Nouem vbi sunt?* Principes
„ ipsi libenter ijs vtuntur: Dauid norat Ioab, aptum ad omnia: quamobrem ipsius opera vtebatur ad interficiendum Vriam.

Aulici ministri ne alludant ad omnes Dominorum opiniones ac affectus: docet Ioab, sed Achillem imitentur qui apud Euripidem in Iphigenia inquit. *Se ita obtemperaturum esse Atridis si honesta praecepturi sint.*

Qui inuiti expediunt mandata, non omnia narrant sed multa omittunt: Verum enim illud Plauti, *Pater, inuitus canem venationi qui ducit, nihil agit.* Ne cede terriculamentis, & perseuera in iustis & salutaribus consiliis & exitum Deo commenda ac assidua voce clama.

Non ego dura pati discrimina mille recuso
Dum tua constanti tueor mandata labore.
Sed ne deficiam, ne sæuo vincar ab hoste
Tu mihi præsto veni, tu suffice robora præsso.
——— *Da nescia frangi*
Pectora da vires animis tua damna professis.

CCCLXXXIV. Qui enim in hisce minutis ac iniustis auaro, iniusto, porrigit aures & manum, is fingit etiam mendacia in gratiam Principis, & tandem absque dubio tentatus gratia & auro proditoris officium suscipiet.

CCCLXXXV. Quem itaque in omnibus mandatis

expe-

expediendis sine contradictione promptum animaduertunt, obseruabunt, si prudentes Principes, etiam illos qui intimi sub prætextu scientiæ Domini multa peragenti insciis Dominis : quod eo fit facilius si aditus tantum vni vel alteri quantumuis præcii conceditur.

CCCLXXXVI. Aulicorum Heroicorum animi nulla re magis offenduntur, quam si videant Principem conuersa tota beneuolentia in vnum illi se totum dederit, & quasi mancipauerit, cæteros negligere aut contemnere, si tales socios duos vel assumserit, absque labore quicquid voluerit, obtinebit.

CCCLXXXVII. Aulicorum improborum ars est, aliud prætendendo potentiam sibi comparare, & res suas augere, omnes studiosè sibi conciliare, senatorum maximam partem ambitu sibi adquirere : gyneceum corrumpere ad perscrutanda arcana : in quibus & similibus, quæ proferri non debent, præceptore vtuntur Sejano. Remoueantur in tempore tales.

CCCLXXXVIII. Aulicus etiã prudẽtissimus in gratia constitutus, cui affluit omniũ rerum copia, potentia, splendor, maiorum nobilitas, cogitet se seruum abiectissimum, cum nõ habeat vnum sed multos & importunos dominos, & quamuis sibi nullius mali conscius sit, tamen omnes timeat, tam pares quam subditos, & tam amicos, quam inimicos, etiam extraneos.

CCCLXXXIV. Aulicum improbũ describit Tacitus: *Corpus aulico sit laborum tolerans, animus audax sui obtegens, in alios criminator, iuxta adulatio & superbia, palam compositus pudor, intus summa adipiscendi libido, eiusque causa, modo largitio & luxus, sæpius industria ac vigilantia haud minus noxiæ, quoties parando regno finguntur.*

CCCXC. Bene obseruentur in aulis aulici medici: plerumque .n. malè conscii in conscientiam sumũt Medicũ

 vt Se-

vt Seianus Eudemium amicum ac Medicum Liuiæ , ſpecie artis frequentem ſecretis. Selimus aſſumens Medicum Bajazetis Patris , Bajazetes contrito adamante interficitur.

CCCXCI. Primas aulice dominandi ſpes, vbi ſis ingreſſus adſunt tibi ſtudia & miniſtri.

CCCXCII. Vulgo fama iactata cum magna impudentia & inſania ſuper id, quod nullo certo authore firmatur de viris Principibus, prompte ab aulico ſunt refutanda: vt multi debuiſſent falſum, vanum & incredibilem rumorem de optimo quodam principe ſparſum.

CCCXCIII. Aulicus tegat ſpem & fauoris exordium, quo Princeps eum amplectitur, alioquin perniciem vel ad minus remoram accelerabit.

CCCXCIV. Aulicus quem recentia & vetera odia premunt , impoſſibile eſt, quod tandem non euertatur, Ioab probat. Qui itaque ſapit, videat, vt conflata extinguat.

CCCXCV. Aulicus qui aliquem inſimulauit criminis , quod reſpicit perſonam Principis vel Reipub. debet cogi ad accuſationem peragendam , nec tranſactio concedi.

CCCXCVI. Aulicus conuictus, quod pecuniam ob rem iudicandam vel expediendam acceperit incorrigibilis remoueatur , ne in aulis principum præpotentes ſint venales, & ne dum proſpere fruuntur gratia principis malè abutantur: Si tamen ipſe Princeps puras habuerit manus:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Si enim inquit Plautus in Perſa: *fides & iuſtitia & reliquæ virtutes exulant : non centuplex murus rebus ſeruandis, ſufficit:* Exulent peculatus, perfidia, auaritia, inuidia, ambitio, obtrectatio, periurium, indiligentia, iniuria ſcelus.

CCCXCVIII. Aulicus perfecte perdiſcat naturam

& ingenium Principis, & quibus modis temperanter se habeat.

CCCVIII. Improbi verò sunt qui laborare vident aliqua cupiditate Regem intendunt neruos suos ad id, vt illo potiatur quo sibi gratiam coemat, bona corradat, nulla habita ratione honestatis.

CCCXCIX. Quapropter diligenter obseruet, scrutetur & inuestiget, quomodo tempus distribuat & impendat, quas horas otio, voluptatibus & quibus quas negotiis publicis, militaribus, secretis, iustitiæ tribuat, quas chartis & aleis, venationi: quando solus esse cupiat & interpellari nolit, quibus benè velit & faueat.

CCCC. Licut quisque in Republica tantum postulet, quantum habet virium: non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium valeat, non iudicium, non existimatio ciuium, non posteritatis verecundia: tamen aulicus eorum socordiam irridere debet, qui præsenti potentiæ credunt extingui posse sequentis æui memoriam.

CCCCI. Temporis iniuria quandoque contingit, vt sit clamandum aulico cum aliis:

O demens qui te terris Astræa requirit
Aurea: tolle miser vultus ad sidera cœli,
Astræam cœli positam inter sidera cernes:
Non terris quærenda latet ———
Ius & iura negant homines & numina fallunt:
Nec Iouis imperium nec phlegetonta iuuant:

CCCCII.

Iudicium nihil est nisi publica merces:
Atq; Eques in causa qui sedet emta probat:

Sed tu: hanc Nemesin tentare caue, namq; aspera quam sit: Exemplis loquitur, vel sua cuique Domus.

CCCCIII. Verum cum omnia vertantur multi post multos annos sentient iustitiæ fructum & in iustitiæ pœnas. Patere itaque & vinces. Nam qui in aduersa fortuna tempus trahere potest ex varitate nunciorum & rerum, cunctari, aut properare, is proculdubio se meliori tempori reseruabit.

CCCCIV. Aulici caueant ne secundum receptam opinionem hominum cum Atheniensibus de Articulis fidei statuant, quandoque falsum zelum & absque scientia prætendentes:

Sæpe scelus cœlum Zeli velamine texit:
Cui Zelus cœlum est, non facit ille scelus.

CCCCV. Aulicus cum Theologo non nisi doctissimo disputet. Indocti enim in Cathedra de scriptorum iudicant ingeniis, magnaque contentione, vt cuique libitum est, suis quemque scriptis condemnant, velut capillitio vellicantes, ipsi interim tuti & delicati martyres, tam leues & abrasi vndique vt ne pilum habeant boni viri, quo possint prehendi, ne micam pietatis, constantiæ, doctrinæ.

CCCCVI. Vulgo aulicus raro vel nunquam adhæreat: Est enim monstrum terræ:

Sunt sua monstra salo, sunt sua monstra solo.

Et plerumque cum consiliis perierunt vulgi & populi partes defendentes, exemplo Absolonis ac Grachorum & Sp. Melij.

Proh vulgus pelagus, indeclinabile virus.
—— Recte & sapienter Scaliger:
Qui pendet ab errore & opinione vulgi
Pendet magis, atque arbore, qui pendet ab alta:
Nam quod semel euenit & abiit, id nocet nil.
Ad quod dubiis articulis stat, instat, vrget,
Vanescit, adest: esse malum id puto solum.

Vulgus modum nescit increpat stultitiam suam quod Absolonem constituisset Regem.

I. Maior.

Sis asinus quicunq; asini clamore teneris.
Iudicio vulgi ne capiare caue:

In adiaphoris vulgo tamen se accommodare, & cum eo quandoque desipere debet.

CCCCVII. Quod Plautus denotat *per Epistolam*, scilicet *aut per nuncium*, *quasi regem adiri eum aiunt*: id maximè prudenti aulico obseruandum. Debet enim Epistola etiam præsentem adire, id est, ex dignitate Principis & vtilitate aulici.

CCCCVIII. Aulicus nihil remittat studij, vt in cursu vitæ aulicæ auertat Principis de se suspiciones, rumores vulgi & inuidiam.

CCCCIX. Aulici ne gratiam collectam effundant solent Principem suum ad vitam procul ciuitate amœnis locis degendam impellere, vel in peregrinas regiones ablegare, vt in manibus habeant aditus, & arbitri sint literarũ siue libellorum supplicum & vitent adempta salutantium turba inuidiam. Venatio aulica absque canibus.

CCCCX. Authoritas aulici valde augetur, si illa, quorum alioquin nulla extant documenta, nouit probare ex annalium memoria, historia vatumque carminibus.

CCCCXI. Aulicus initium bonæ voluntatis & gratiæ amittit, si inoportuna hora principem adeat vt supra dictum.

CCCCXII. Aulico non circumspecto sæpe solet esse causa euersionis, si delegerit cultum principi odiosum.

CCCCXIII. Aulicus circumspectè agat, ne accusetur populi vel subditorum fauorem ambiisse præter

communem modum. Commodus Cæsar capite plecti iussit Cleandrum præfectum militum & sui cubiculi, quod copiam frumenti coegisset, fauorem populi aucupans tempore famis.

CCCCXIV. Aulicus omittat omnia illa, in moribus, in vita, in vestitu, in actionibus omnibus, quo Princeps offenditur. Cornelius Gallus Ægipti Prouinciæ præfectus ignominia notatus est, quod se insolentius gessisset, quam par erat, statuas quoque sibi locari passus esset, & Pyramides in altum tolli. Videmus tamen hoc hodie tam strictè non obseruari.

CCCCXV. Aulicus militum siue equitum manu ad comitatum ne vtatur. Legimus enim Lucilium Capitonem Procuratorem sub Tiberio accusatum à Prouincialibus, quod hac in re vim Prætoris vsurpasset. Ambitiosi itaque hodie Capitanei peregrinantes ad nuptias, ad pompam milites secum ducentes Principes, quasi proprios ministros: stultè agunt.

CCCCXVI. Nulla est maior occasio acquirendæ gratiæ Principis, quam si aulicus ostenderit re ipsa, propria vita sibi principem fuisse chariorem, & vt viuat princeps, ipse maluerit mori.

CCCCXVII, Improbi aulici, qui aliquem euertere student scelesta via & callidissima vti solent: subdunt aliquem, qui miserum accuset, atque illi interim partes iudicis assumunt, quasi merâ æquitate & iure, non affectibus impulsi iudicaturi sint, à tali iudice libera nos Domine.

CCCCXVIII. Maturè & sensim eundo aulicus promotiones speret, nec nimium properet.

CCCCXIX. Aulicus etiamsi habuerit causam de Principe conquerendi, caueat tamen à vocibus contumacibus & inconsultis, nec vulnera domestica absque discrimine denudet.

Nimis detegendo cladem, inquit Liuius, augemus contemtum.

Nam

Reuerenter habe, quos superi dant superiores,
In se spuit is, qui spuit aduersus olympum.

Scaliger:

CCCCXX. Si is, cui Princeps subiratus est, aulico in gratia constituto se familiariter applicet, eum semel quidē admittat & audiat, principem tamen excuset, & vt omnia patienter ferat, admoneat: Caueat tamen in re dubia operam promittat vel consilium det. Iniustè tamen manifesto patientem defendat ac liberet.

CCCCXXI. Callidi & scelesti aulici etiam in illos quos colunt extrinsecus, semina futuri exitii meditantur, & quando ad finem ope amicorum peruenerunt, quem sibi proposuerunt, proiiciunt. Saul seruos submisit monentem Dauidem esse in summa gratia: & struuntur in aulis insidiæ vt plurimum per amicos: quos tu putes ex animo loqui: Volunt enim Principes scrutari omnium corda, in eoque vtuntur linguis ac auribus aliorum: imprimis improbi.

CCCCXXII. Auaritia & superbia plerumque validorum aulicorum vitia, quibus aulici non tantum propriā mentem, verum etiam plerumque principum animos, sub specie authoritatis, & Parsimoniæ corrumpunt: Nam qui gradu dignitatis magnificentiam & grauitatem defendere nequeunt: superbia tuentur: quique ex copia redituum thesaurum corradere non possunt, ex Parsimonia & variis compendiis mulctarum colligunt.

CCCCXXIII. Aulici non debent secreta aliorum rimari, ne dicantur curiosi & audaces, vt supra: Sycophantarum enim natio, anthore Plutarcho, est de tribu & familia curiosorum.

Nam & curiosi aliorum infœlicitatem in lucem profe-runt, & calumniam frangentem cor sapientis nutrit.

Qui res alienas curant opere maximo:
Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt.
Id quod Reginæ Rex in aurem dixerit:
Sciunt quo Iuno fabulata est cum Ioue:
Quæ neq; futura neq; sunt facta tamen sciunt.

CCCCXXIV. Legatus, quæ Princeps abstrusus vult esse arcana, improbe tentat inquirere, & pœnas testantibus Historicis pro responso aufert practicis itaque parcat & expiscationibus. Temeritas hîc cum curiositate concurrit.

CCCCXXV. Euecto à Principe ad opes immensas & honores insignes obsequium & honorem tribuere debemus, neque illum contemnere tanquam nouum hominem indignum & indoctum, ne in curramus in odiũ Principis. Si indignum talem fuisse exitus probauit, dicamus cum illo apud Tacitum: *Tuorum consiliorum socium tua officia in Repub. capescentem colebamus.*

Bonus tamen vir & consiliarius author sit Principi absq; metu, vt bonos & exercitatos muneribus præponat.

CCCCXXVI. Antiochus ille, qui bis exercitum duxit aduersus Persas, in venatu feram sequens, in casa pauperum didicit: Pontifex ex sermone Sarisbariẽsis, Franciscus Galeatius ex colloquio variorum sub sordido mercatoris habitu, veritatem: Reges & Principes rarò verum audire. Nam studio est prauis aulicis, ne quid audiant nisi blandũ auribus, vt supra. Cum tamen miser sit Princeps apud quẽ vera reticentur.

Segnis tamen est apud multos veritatis indagatio, ad ea se potius, quæ in promptu sunt conuertentes, Thucidide scribente.

CCCCXXVII. Sinceri homines etsi simulare nesciunt,

tamen in aula degentes falsa, fictaque dogmata simulationum & multa mala, alioquin inermes & innoxij in sinu aulicorum discunt etiam inuiti, cum Præceptore Tiberio ipsi Principes dissimulationem diligant, ijsque sœpissimè vtendum. Vsus simulationibus etiam Dauid Rex & Propheta non citra peccatum & Ludouicus XI. Rex Galliæ, filium Carolum scire latinè vetuit, præter illud:

Qui nescit dissimulare, nescit imperare.

—— Sed tu cum Philosopho: ——

CCCCXXVIII.

Nec dissimula, nec simula: hoc malis relinque aiunt: *Simulanti simulato.* Ast ego contra: Nunquam simula: nec mala te malum esse cogant.

CCCCXXIX. Verum in omnibus aulis omnibus ætatibus accidisse testantur prudentes, vt aulæ voluerint attemperari religiones ad suas vtilitates & inuenta leuia ingenia, seruientia principum cupiditatibus.

Nunc gerit hanc aliam, speciem induit anno
Religio ad procerum sensa parata loqui.

Ierobaam docuit subditos fidem Principis sequi: Scimus religionem non diu manere in eodem statu: sed cum imperio & imperatoribus mutari: docet te Manasses, Ezechias, Constantinus, Iulianus: docent te hodierna Principum in Germania exempla.

CCCCXXX. In multis tamen casibus non concernentibus religionem & salutem æternam, commodum Principis & Reipub. vitam & interitum proximi innocentis & veritatem ipsam simulare aulico expedit, & sic in publicis: in ijs enim sæpe Reges eos per quos fallere aliũ cogitant, fallunt, Seneca authore in Thieste. Saul simulabat se non audire contemnentes nec munera adferentes: absque peccato.

CCCCXXXI. In ſermone tamen ſimulationem conceſſam autumant, ſi extra neceſſitatem inſtituatur ne fateatur, nec neget, quod verum eſt, ne dicat quod non oportet proferre, reſpondeat, vt æquè incertus recedat, ac antea fuit, qui interrogat vel modum excedentem occultè perſtringat, vt quorſum profectus ſit Princeps, an abire velit vel non: hæc tanquam arcana ridendo ſimulato vultu tegat, & cum reliquis Prudentiam admiretur.

CCCCXXXII. Is aulicus, quem natura & genus fecit aulicum, has cautiones obſeruabit, non quem fatum fecit.

CCCCXXXIII. In factis tutius vtitur aulicus ſimulandi & diſſimulandi arte, nimirum in dolore fingendo, vel lætitia fingenda, in ſpe & metu, in ſcientia & ignorantia: ita tamen, ne in veritatem & proximum peccemus. Æneas ſpem vultu ſimulat, altum tamen corde dolorem premit. Hannibalem ferunt cognita fratris cæde, compoſuiſſe vultum, riſiſſeque conditionem humanam: quo Ducum ac militum animos confirmaret.

CCCCXXXIV. Qui latius hoc Antidotum in humanis negotiis extendunt, & abſque differentia adhibent & exhibent, venenum animæ porrigunt & mortem proximo inferunt. Quid prodeſſe poterit antidotum, cui ſuperfunditur venenum? Tiberium non diſſimulatio deſerebat, etiam viribus deficientibus corporis, ſtat ſimulatio & diſſimulatio, crimen vtrumq; & tamendiu durat. Abner & Ioab miri aulici, qui aliter ſentiebant aliter loquebantur: Abner prætextu authoritatis diuinæ populum ad declinationem hortatur: Ioab æmulationi ſuæ aduerſus Abnerũ transfugã prætexit periculum Regis & metuum proditionis tum iuſtũ dolorẽ quem ex fratris Ahahelis interitu acceperat.

CCCCXXXV. Au-

CCCCXXXV. Aulici viri præstantes, qui animi cādorem in hoc putri cadauere præ se tulerunt, cum de se ipsis fructum & propaginem reliquerint in terris & aliquātulum in sepulchro conquieuerint, tandem candidissimi, purgatis sordibus, reuolabunt in sublime.

Qui autem versipelles fuerunt dum viuerent etiam rediuiui versipellem statum retinebunt, authore Bodino.

CCCCXXXVI. Aulicus itaque versutiam fugiat, versutus fraudib. delectatur, & versutia vergit in dolū, fraudem, calumniam: Versutorum verba sunt dubia, promissa non fidelia, solatia malitiosa, consilia callida, captiosa oratio, fictæ admonitiones.

CCCCXXXVII. Quo quis versutior aulicus, eo sit tibi invisior, suspectior: deprehendes enim plerumque proditorem.

CCCCXXXVIII. Si aulicus magnitudinem quæstuum & auri famem spectauerit, nunquam fidem integrā & puras manus habebit, sinceramque mentem.

CCCCXXXIX. Aulicus qui salua & pura conscientia & saluo existimationis honore secundum temporum conditiones varios mores potest induere, & illis cum iudicio vti, prosperum habebit successum.

CCCCXL. Aulicus cum exteris negotia vix terminabit feliciter, nisi mores patrios eo in loco assumserit, quam diu ibi viuat.

CCCCXLI. Aulici ex se nati, hoc est qui propria industria ad dignitates ex scholis puerorum vel simili officina peruenerunt, sunt aduersus superiores tristi adulatione, arrogantes minoribus & inter pares difficiles deprehenduntur & pertinaces.

CCCCXLII. Aulicus prudens vbi animum Principis erga se mutatum & crescere inuidos agnoscit, discedendi ex aula, quæ non est Francisci & Aphonsi, honestam dimis-

ſionem mature petere poteſt, honoribuſque cedere quam expectare, donec eijciatur.

Turpius eijcitur quam non admittitur hoſpes.

CCCCXLIII. Hoſpinianus Cancellarius Galliæ, à conſiliis turbulentis alienus perfrigido vultu nec aperto à Carolo IX. Rege ſanguinolento exceptus: quo erat generoſo animo & repulſæ impatiens de diſceſſu cogitat & aulā relinquit: Moruillerio ſucceſſore, Reginæ non contradicente, recepto.

CCCCXLIV. Polybius ſapienter dicit in aula principum non tantum vituperando, ſed etiam laudando ſœpe fieri bonis calumniam & eius tantum virus eſt, vt afflatu ſuo ſtatim inficiat & exanimet multos: Cum ſit Luciano definiente, *accuſatio eius, qui in iudicio non comparet, quique de illa non cognouerit, vt ab accuſatore ſolo allata fuit:* ita accepta & credita omni facultate reſpondendi adempta reo.

CCCCXLV. Nihil in aula Principum periculoſius eſt magnatibus & proceribus, quam calumniatores bonorum: Cum vero calumniæ aſſiſtant, teſte Luciano, ignorantia, ſuſpicio, liuor, inſidiæ, fraus, principes ſapiant & ſint circumſpecti, ne viri boni, & optime de Repub. meriti ab illa vafra bellua lanientur.

Ne prius audieris ambos, ne cernito litem

CCCCXLVI. Ambitioſus aulicus, proculdubio eſt cenſendus, qui prætextu Regiæ dignitatis amplificandæ omnia pro animi libidine adminiſtrat veteres officiarios etiam probatos abſque ratione mutat, alios in eorum locum ſubſtituit.

CCCCXLVII. Verum proh dolor, aulæ plerumque confertæ ſunt viris, qui propriam non ſubditorum ſalutem quærunt, quiquum ſunt ſemel aſperſi aulica fuligine, nullo pudore aut verecundia continentur: ſed omnes

voces in dominorum nutum emittunt, neque aut ius aut fidem aspiciunt.

Interrogati quo pacto id probent, *quia Dominus vult cui non contradicendum*, respondent. Qui annunciant tantum, sed non probant, excusatione digni sunt.

CCCCXLVIII. Aulici, in quorum potestate est Princeps, & ex quorum voluntate gerit omnia, quam diu boni sunt. neque immoderata affectant, bonis consiliis & salutaribus Reipub. innotescere possunt si timidi & auari sunt, actum est de Repub.

CCCCXLIX. Aulici matrimonia oblata à Principe non prudenter recusent, imò semper Principis consensu contrahant: tamen magis honestatem quam gratiam attendentes.

CCCCL. Aulicus vacuus æmulatione reliquis in consiliis & actionibus præferendus est plusque ipsius sententiæ tribuendum, quam reliquorum, quorum affectus sæpius à recta ratione deflectit, sic Chusai frangebat consilia Achitophel.

CCCCLI. Aulicus fugiat dignitates, ad quas sine scelere peruenit ri non potest, non enim sunt felices & diuturnæ: inprimis emtæ & venditæ:

Omnia Castor emis, sic fiet vt omnia vendas:
inquit Martialis

Emerat ille prius, vendere iure potest:
scribit Sanczarius

CCCCLII. Aulicus Consiliarius propter euacuationem calicum magnus, potens & diues factus diu consistere non potest, infamat. n. Principē & se ipsū: & incidunt Princeps & minister in contemptum vt accidit Tiberio ignominiosissimū præferenti candidatum quæsturæ, nobilissimis ob epotam in conuiuio, propinante se vini amphoram.

Qua authoritate Flaccus & Piſo tenuerunt Syriam & præfecturam potando adquiſitam?

CCCCLIII, Vitellius, quo gratiam Agrippinæ pararet, conſiliis eius ſe implicauit. Quod obſeruent aulici ſtudioſè & fugiant.

CCCCLIV. Eadem Agrippina in Barrhum cohortis prætoriæ præfectum & Senecam implacabile odium coniecit plus filio ac matri ſubſcribentes, ferociæ, Agrippinæ obſiſtentes ille militaribus curis, hic prudentiæ & virtutis præceptis.

CCCCLV. Contra Baias Agrippinæ: filius enim Nero matri ſtruens inſidias nihil potuit efficere, Baja a uocante matrem ad ſolemnia quinquatrium ſimul celebranda.

CCCCLVI. Improbi aulici quacunque arte & pacto poſſunt, ſtudent ne Principis defuncti liberi, quem læſerũt & contumeliis affecerunt, Ducatum abſque difficultate adipiſcantur, cum vltio ex filiis ſit timenda: Remoueantur tales ex aulis principum.

CCCC.LVII. Quod politicus aulicus aggreditur ſiue pacis ſiue belli tempore, cultu vultuque quam maximè ad rem expediendam accommodato aggrediatur.

CCCCLVIII. Didius ſenectute grauis & multa copia honorum per miniſtros agere & arcere hoſtem ſatis habebat. Quod notandum, ne egregii duces Aulici politici, Iuriſconſulti, exiſtimationem multorum annorum curſu acquiſitam, amittant momẽto vnico. Ne quid poſt immortale factum mortale fiat. Sequatur ſagittarii iſtius cuius mẽtionem Hiſtorici faciunt obſtinationem ac ambitionem: is enim ab Alexandro monitus vt ſpeciem ederet ſagitttãdi, ob eam artem celeberrimus maluit pati quam in ſenio & infirmis manibus nomen & famam, manu & arte aberrante dedecorare minuere & deformare.

CCCCLIX. Incertæ ſunt res potentum: igitur aulicus propriæ virtuti non aliis fidat, ne vnus dies ſpargat ac diſſipet, quicquid longa ſeries, multis laboribus multa Dei indulgentia ſtruxit, inquit Seneca.

CCCCLX. Erat Cappadociæ procurator Iulius Pelignus ignauia animi & derediculo corporis iuxta deſpiciendus, ſed Claudio per quam familiaris, cum priuatus olim conuerſatione ſcurrarum iners otium oblectaret: Noli itaque mirari ineptiſſimos quandoque in aula fieri magnos.

CCCCLXI. Tales ſi gratia & potentia principum fruuntur cuncta malefacta ſibi impune licere exiſtimant.

CCCCLXII. Agrippinæ ſtatilium Taurum opibus illuſtrem peruertebat. Quid paſſus P. Antius? quid Pallas? Cautè igitur locupletes aulici vel ſubditi cum principibus verſentur, ne cogantur dicere: *villa mea me perdidit*, Xenophonte teſte *de Regno*. Quicquid quis accipit à Rege, "
nihil putet ſuum & proprium, priuſquam ex illius poteſta- "
te euaſerit, inprimis ſi fuerit villa Valeriani priuata, cuius "
mentionem facit Vopiſcus, is habuit ſeruos quingentos, "
duo millia vaccarum, mille Equos ouium decem millia, caprarum quindecim millia. Cauendum in aula: monente Abrahamo, ne dicat Princeps: *Te ditaui* impotentis animi ac infirmi eſt: Miniſtris ſemel iuſtè data auferre: vel exprobrare & obiicere.

CCCCLXIII. Aulicus ne abutetur clementia Principum aut blandè arridentis fortunæ obſequiis: *Fortuna vitrea eſt, dum ſplendet frangitur*.

CCCCLXIV. Dominationis cupidi aulici cuncta regno, decus pudorem, veritatem corpus & animam viliora habent: Tales non patiatur aula. Inprimis ſuperbos quorum aula plerumque plena eſt.

Maximaque domus seruis est plena superbis.

CCCCLXV. Xenophontis Medici exemplo & scelere tum Imperatoris Bajazetis Medici edocti colligimus magna facinora ope Medicorum in aulis peragi: Itaque nō nisi pij vocentur vt supra. Semper apud Principes vicinos morti aut valetudinarios, nimis multū ex sententia Thuani possunt.

CCCCLXVI. Aulicus ne agat id inscio Principe, ex quo inuidia in Principem queat redundare.

CCCCLXVII. Aulicus ne eum lædat, cuius fratres & propinqui vltores sunt metuendi, scribat in marmore non in puluere lædens.

CCCCLXVIII. Imo fallere neminem debet. Miser enim est, qui alium fallit, in primis, si ex eo prudentiam æstimare velit, incidit namque in perniciosiorem laqueum quā quo alium implicare studuit. Prudens neminem fallit, neque vir bonus, nec Deus ipse. Et fraus cum in omnibus hominibus fœda sit, tamen in ijs, qui maiori dignitate præditi sunt, fœdior quam aperta violētia, Thucid. teste. Scelestissimi nullis conuitiis, nulli arti, nulli astutiæ parcunt vt riualem euertant: prudentiores amore obsequio vtantur. Castilione authore.

CCCCLXIX. Prudentes aulici & boni in pari potentiæ societate concordes esse possunt.

CCCCLXX. Aulicus res, quas aggreditur, exactissimè cogitare & ruminare debet, vt bonum exitum mediis aptis adhibitis sortiantur.

CCCCLXXI. Aulicorum consilia cum sint Guicciardino teste venalia: Quia totum orbem proditoribus repletum L. Sfortia dicebat, & in Grecia non numerari potuisse refert Demosthenes, curet Princeps, vt in aula nihil venale, ambitioni, aut corruptionibus peruium sit.

CCCCLXXII. In aulis nihil eſt, quod adeo turbet conſilia Principum tempore pacis ac belli quam diſſentiẽtes opiniones, crebræ procerum contentiones ſimultates & æmulationes, dum alter alterius gloriæ honori & commodis inuidet primaſque obtinere ſtudet, inde etiam res præſtantiſſimæ alioquin variis caſibus obnoxiæ etiam ſummo ardore ſuſceptæ, concidunt: contineri poſſunt ordinario ſeruato conſilio & ne negotia ad partem tractentur.

CCCCLXXIII. Aulicus ne ex eo ſpiritus ſumat, quod beneficio Principis honores & opes cumulatè accipit: quia ſæpe interno affectu Princeps eum odit cui multa confert.

CCCCLXXIV. Aulæ magiſtri & principum iuuenũ præceptores conniuere debent ad aliqua in illa ætate, quæ cum nullius iniuria fiunt vt in cœteris rebus maioris momenti, illos regere queant.

CCCCLXXV. Semper relinquitur limen illius aulici qui, in Principis odium incidit, in gratia conſtituti, alieno iudicio ſancti Domini amant & odio habent. Docet hoc Iſaac ab Abimalechis ſeruis turbatus. Infortunatus aulicus tales obſeruet, vt in priorem ſtatum poſitus talibus ne fidat.

CCCCLXXVI. Patriæ neceſſitas amplitudo nominis & opum copia exigit, vt aulicus equos alat: & quo quis eſt generoſior, eo libentius in generoſum animal docile ad pugnam & idoneum ad defenſionẽ corporis ſumtus facit.

CCCCLXXVII. Aulico futuro inprimis peregrinationes ſunt neceſſariæ: vt & militi futuro, vt alienis moribus perſpectis cautiores efficiantur vſu rerum & linguarum cognitione inſtruantur & ſpeculum mortalium teneant, in quo, qualis ſit hæc vita, in via ad aliam cernitur.

CCCCLXXVIII. Prudens aulicus nunquam exuat priſti-

num

num obſequium cuius gratia locum tenet, ne ſua negligentia aliis & nouis aperiat viam.

CCCCLXXIX. Prudentis aulici eſt inimici conſilia in contrarium vertere, & media quibus vtitur, occupare.

CCCCLXXX. Quamuis inimicorum æſtus in aulis intelligamus, tamen non ſemper conducit in ipſum aperire, ſed melius ad tempus aliquod diſſimulare.

CCCCLXXXI. Aulici indigna & muliebris eſt defenſio miniſtri, inprimis in cauſa religionis, qua culpam in Principis iuſſionem reiicit: Vt enim ex aula expectat more nonnullorum Academicorum menſtruam fidem habentium, quid debeat credere, ita nihil conſtanter & ſincere aget in reliquis omnibus.

CCCCLXXXII. Aulicus fugiat amores: Fama enim ijs perditur, pecunia hauritur, ſalus fœminæ arbitrio committitur, & vigor ingenii amittitur. *Vbi ſum, ibi non ſum: Vbi non ſum, ibi eſt animus*, inquit Plautus, cum amantis animus ſit in re amata: & amori, eodem teſte, accedãt, inſomnia, ærumnæ, error, terror, & fuga, ineptiæ, ſtultitiæque adeo & temeritas, incogitãtia, excors, immodeſtia, petulantia, cupiditas & maleuolentia, auiditas, deſidia, iniuria, inopiæ, contumelia, diſpendium, multiloquium, cura, ægritudo, ac nimia elegantia.

In ſumma, inquit Petrarcha:

Só com' e' inconſtante vaga
Timida ardita vita de gli amanti
Ch' un poco dolce molto amaro appage
El breuiſſorino riſo coi lunghi pianti
Amor di meretrice & vin di fiaſco
La matina é buen é la ſera e guaſto
Eſt Venus in vinis, ignis in igne furit.

Sine caſto & vero amore aulicus vix emergere poterit, dicat itaque.

Quod si vis in amore meo est, si cogor amare:
Non odi quod amo: Sed nec amo quod amo.

CCCCLXXXIII. Ne itaque emat, vt Gellius de Demosthene refert, dolorem & pœnitentiam 10000. drachmis vel mille coronatis:

Scribatur portis meretrix est ianua mortis.
Alea, vina, Venus, tribus his sum factus egenus,
Diues eram dudum, fecerunt me tria nudum.

Rubiginem splendori ne præferas.

CCCCLXXXIV. Aulicus à seruorum familiaritate filios abducat, nil etenim ex contubernio seruili, nisi abiectũ & sordidum oritur. CCCCLXXXV. Ars est detestanda multorum aulicorum, qui aliter crescere non possunt, vt ad potentiam Principum adipiscendam laudent sororũ vel vxorum formam & elegantiam vt Principem accendant, & hoc modo vel alio vt gratiam iuniorum Principum Exemplo Ionadab adquirant sibi deuinciant. Radix arida.

CCCCLXXXVI. Principem aulicus fugiat, qui malam suspicioné concipit & omnia dicta & facta in deterius accipit. Non.n à saliua, quam semel imbibit, aliũ gustũ assumet.

CCCCLXXXVII. In aula ratio quæstuum & erogationum inter se probè congruere debent.

Si anni videas circuitum explere volati.
Summas rationes tabulas diariorum:
Et paria simul confieri: æquare vicissim:
Sumptum potes admittere, præstare tamen si in subsidiis est aliquid tibi repostum: Sic *Vidi ego fortunas humiles consurgere in altum.*
Et contra vidi magna perire bona. I. Maior.

Et generaliter miserum est inprimis egere, miserius in exilio, miserrimum, si exules longius, liberos domi relinqués.

CCCCLXXXVIII. Qui apud Principem viget & præpollet, omniũ aulicorũ, si potest fieri, animos & beneuolentiã sibi comparet, ne tempore gratiæ effusæ habeat mutuis odiis sibi inuisum.

CCCCLXXXIX. Aulico forti & strenuo terra potest, in qua viuat, non in qua præclare moriatur, deesse:

Vn bell morir, tutta la vita honora.

CCCCXC. Ad subleuandum metum eius, qui male de te in aula suspicatur, ars est bona, Cornelio teste, blandimenta, illecebræ & honoris oblatio.

CCCCXCI. QVI vincere aduersarium ex tuto cupit, beneficiis & gratia certet bona: Licet ex mente Platonis vix reperias hominem mansuetum & ingeniosum.

CCCCXCII. In aula magna & factionum plena potentis aulici amici, mors infringit, socii autoritatem, præsertim si bonis artibus ambo fuerint prædit i, & princeps ad deteriora inclinet. Mortuo Ioiada, Ioas mores valdè mutauit. Exempla innumerabilia sunt qui probant in Principibus crescere vitia, mortuis vel remotis vel discendentibus præstantibus Consiliariis.

CCCCXCIII. Aulici omnes aut natura sunt facti aut ita edocti & exercitati, vt velent odium fallacibus blandimentis & porrigant obuiam euntibus sine corde manus. In primis lutea negotia tractantes. Aulici improbi animus magis latet, quam arena maris, O Nili origo.

CCCCXCIV. Seneca interrogatus, qua ratione ad extremam ætatem in aula viuendo peruenisset, respondisse fertur, *Iniurias accipiendo & gratias agendo.* Hoc discat aulicus, vel aulam tempestiue relinquat. *Aequius interdum est, quam plectere mittere noxam: Turpe non est iustis, cedere iure suo.* Quod non tantum liberale, sed quandoque etiam fructuosum, dicebat M. Tullius.

CCCCXCV. Causa, cur multi aulici nullos progressus faciant, in eo consistit, quod spectent diuersas spes & nulli firmiter adhæreant patrono.

CCCCXCVI. Prudens aulicus nunquam voluptatibus principis, si modo honestæ sint, aduersetur, nam à gratia excidet, & frustra se opponet.

CCCCXCVII. Aulicus non tā verbis quā silentio querere & plurimum facere & minimum ipse de se loqui debet.

CCCCXCVIII. In aulis infrequens non est, at non semper tutū, vt aulici secretis criminationibus incusent alios. Videant ergo quem incusent, nam sæpe validius ab incusato aliis criminibus accusante repelluntur.

CCCCXCIX. Peccamus aulici plura, dum demeremur, quam dum offendimus.

CCCCC. Semper Vatinius in aula inuenitur corpore detorto, facetiis scurrilibus, primo in contumelias assumptus, deinde optimi cuiusque criminationem vt gratia, pecunia & vi nocendi pessimos superet.

CCCCCI. Ars est improborum aulicorum, qui Principis gratiam colligere student, vt inquirant studiosè, quibus sit Princeps infensus, eosq; postea apud ipsum variis criminationibus accusāt: vti Senecę accidit, & omnibus in locis inquirūt de vita ante acta, genere, amicis, opibus adquisitis

CCCCCII. In aula si Princeps duos pluresve suspectos habeat, tum debent illi exemplo Senecæ mutuos sermones & colloquia crebra intermittere.

CCCCCIII. Aulicus studeat facetiis ouis more non apri, nec dicūt Itali, ludas in eo quod dolet, nec dicteria de vero proferas. Asperæ enim facetiæ, & quæ multū ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt, & mortem quandoq; afferunt, inprimis in Principes dictæ vti infra monebo. Inprimis illis parcendum, qui gratia Principum vel potentia ciuium præstant, quos si temere perculeris, periculum est ne immortales inimicitiæ consequātur, autore Castilione.

CCCCCIV. Chi schernisce il zoppo dee essere dutto

Te respice: quid quottes obiicis cuiquam,
Irrisio regerit eo se vnde ducit ortum.
Raro sunt visi, qui caruere nisi:
Qui sunt absq; nisi, non sunt homines mihi visi.
Si nisi non esset, perfectum quidlibet esset

CCCCCV. Aulicorum captiuorum delicta probanda sunt, ne dicantur innocentes ob inuidiam vel metum extincti & sententia in propria regione concipienda: Etiam nocens, habetur innocens contra ordinem iuris condemnatus.

CCCCCVI. Autor debet esse aulicus Principi, vt inquisitiones & vindictas longa patientia in delinquentibus exerceat: Non properanti omnia clara festinatio improuida & cœca.

CCCCCVII. Aulicus videns præcipiti iudicio vel corruptionibus motum iudicem quempiam damnari consensu Principis imitari debet grauitatem & sinceram ingenuitatem Mœcenatis, eodem animo, non iisdem, sed mitissimis verbis admonere debet P incipem ad cunctationem. Augustus cum aliquando ius diceret pluresque eodem die præcipiti iudicio capite damnaret, Mœcenas ægrè ferens, quod præ turba accedere non liceret, vt eum à tam cupida damnandi licentia retraheret: tabella accepta scripsit nimis audacter: *Surge carnifex*: eamque signa tam Augusto tradi curauit: qua lecta Augustus surrexit, & earum condemnationum, quascunque eo die pronunciauerat, executionem inhibuit. Apud quos enim non est Parsimonia sanguinis raro liberos relinquunt.

CCCCCVIII. Stulti sunt aulici, qui veteres opes luxuriosè consumunt, sub spe diuitiarum de nouo adquirendarum. Ne fidat blanditiis iocantis fortunæ.

Plerumque pessimi non virtute sed malis artibus ad amplissimas opes ascendunt: & raro probi boniq;, in aulis extruunt Regia Pallatia, rarò aliorum nobilium emunt bona.

CCCCCIX. Cautus & prudens aulicus etsi à principe parum æstimatur & diligitur, nunquam tamen indignationem contra eum ostendere, sed obsequium vbique exhibere debet.

CCCCCX. Miserum est in aulis & rara temporum felicitas, sentire quæ velis, & quæ sentias dicere.

CCCCCXI. Imo & in iis pietatem quæ concernunt, debent aulici à superuacanea tamen rerum inutilium inquisitione & phrasium innouatione in sacris abstinere, & simul cauere, ne nouorum magistrorum & hominum de templo leuitatem respondendo & subscribendo probent ac iniquitatis & inquisitionis socios & executores se præstent. Absit animorum feritas in dissentientes condemnandi prurigo.

CCCCCXII. Aulici concionatoris est, dissentientem placare vt fratrem, monere vt hominem, obiurgare vt errantem & humanitatis sparso sale argumenta contradicentis diluere: Sed hodie:

Vi procerum supplent cum verba probantia desunt,
Textaq; cum debent soluere crura ligant.

CCCCCXIII. *Dum in verbis*, inquit Hilarius, *pugna est, dum de nominib. quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de autorib. querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficilius est, dum alter alteri anathema esse cœpit, prope iam nemo est Christi.*

CCCCCXIV. In occupandis regnis vere nihil salubrius quam pro milite vti verboso concionatore aulico. Is plus efficiet, calumniis, mẽdaciis, quã miles armis. Confirmant hoc Iesuitarum actiones in obsidione Parisiensi. Sic nunquam Georgius à Kunstat Podibradius, qui originem à comitibus Niddanis trahit, regnum Bohemiæ obtinuisset, si non velo religionis & Buccinatore Rokizano sacerdote vsus fuisset, neque infrequens est apud alios. QVOD tamen consilium bonus vir aulicus non semper suppeditet Principi, nec amet postulatitios gladiatores. Imprudens aulicus cuius cura in eo posita est, vt adquirat Principi bello & vi Ciuitates vel Regionem. Nam fine optato non secuto omnis culpa ascribitur aulico Consiliario suadente.

CCCCCXV. Præpoſtere faciunt aulici, qui concionatoribus contra Eccleſiæ primitiuæ morem diſputationes incognitas & inutiles dilectioni, quam toties Saluator noſter inculcauit diſcipulis, præferentibus aſtipulantur: Non iubet de præceptis diſputare, ſed diligere proximum: Sed *ſi diligitis* inquit, *me, ipſi mea præcepta ſeruate.* Dilectio namque gloriosior prophetia & reliquis chariſmatibus ſupereminentior. Chriſtus enim filiam vocabat ſubtiles diſputationes ignorantem mulierem. Finis enim mandati eſt caritas *ex puro corde, conſcientia bona & fide non ficta,* à qua non nulli, vt à ſcopo aberrantes, diuerterunt ad vaniloquentiam. Hinc totus mundus talem coniectionem faciat, vbi diſputationum copia & intemperãtia, tum perſecutionum acerbitas & fides coacta & iuramentis extorta, ibi frigida religio: & deprehẽdet non Herodem Sacerdotes perſequi: ſed ſacerdotes homines ſui ordinis: abutũtur contentionibus non aliter in rebus & ceremoniis diuinis, ac crumenimulgæ, in lite humana determinanda proceſſu: part vtraq; agit crudelibus maledictis quæ tamen inuicem repræhendunt.

Vita vana & breuis eſt moriendi mille figuræ.
Stultus qui vitæ ſpe tot iniqua facit.

CCCCCXVI. Natura excellentem aulicum ſemper præferas tantum arte exculto: Natura namq; ſemper perfectius agit, & ſi quæſieris, cui maiorem laudẽ tribuere debeamus, naturæ an arti? natura, vt ille inquit, decreto quodam tacito vindictas feret: Ars tamen certior dux eſt.

CCCCCXVII. Aulicus actam ætatem, & per multos annos cum dignitate continuum vitæ ordinem non facile, etiam moleſtum po eſt deſerere.

CCCCCXVIII. Hoc inde fieri prudentes opinantur, quod timeant diminutionem honoris vel amiſſionem bonorum non ſemper, bono titulo adquiſitorũ, nec cõſiderent infirmitatẽ corporis, ac animi: Cum tamen nemo noſtrũ idẽ ſit

in senectute, qui fuit iuuenis: nemo mane, qui fuit pridie.
CCCCCXIX. Vnde Liuius *me non iam eundem*, ait, *sed vmbrã nomenq́; P. Lucinij relictum videtis*. vires corporis effœtæ, sensus oculorum atq; aurium hebetes memoria labat: vigor animi obtusus. Colonum & aulicum in tali ætate non assumimus, aulicum scilicet ministrum: non ingenio sed manibus inseruientem: Seneca enim sapienter monet his verbis: *quæ tam stulta mortalitatis obliuio in quinquagesimum & sexagesimũ annum differre sana consilia, & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt*: licet negandum non sit, existere quandoque senes & corporis & animi viribus, iuuenibus fortiores: & in legationibus vtuntur libentius senibus quam iuuenibus: seris venit vsus ab annis, adde quod est illis rerum prudentiæ maior. Solus & artifices qui facit vsus erit. *Etenim mihi multa vetustas scire dedit*. Temeritas florentis ætatis notatur, prudentia senectutis laudatur. Iocasta apud Euripidem.

Senecta non laborat omnibus malis.
Sed gente magnam rerum habet experientiam.
Dicendo polleat vt plus iunioribus.

Sicut vulnerati perito medico assentientem de vulneris curatione, sic Principes senetui iudicia anteponere recentibus cogitationibus iuuenum, qui veluti peregrini primum aspicere Rempub. foris cœperunt. Assumptum senem crudum non eiicimus: supra vt dictum: Sic pœnitere ac sapere etiam, senibus raro contingit. Mirum & magna laude dignum, non est, vt senes aulam relinquant, si necessitas illos auocat: sed quando iuuenis vel vir robustus opulẽtus, sanus, prudens, exercitatus ex proposito aulam deserit, vt pietatẽ exerceat & vanitatẽ rideat & deploret, laude dignissimus est. CCCCCXX. In aula, inquit Gueuara, reperiuntur annosi quidã vetuli, qui Reges, quibus inseruierunt. Princip. quos viderũt, mutationes item officiorũ, bella præterita, quę meminerũt, casus, quos fortuna volẽte ꝑpessi sunt, enumerare

consueuerunt: cum iis omnibus, quæ se vidisse perpessosq; fuisse commemorant, non obstantibus, iis nihilominus diuitiarum consequendarum, iuueniliumq; delitiarum perfruendarum sint adeo cupidi, quasi primũ viuere incipiant. O miserrimos, qui perpetua anxietate, perpetua molestia, nec non infinitis perturbationibus obstipati, inde vsque ab infantia adolescentiam, virilem ætatem, ipsamque adeo senectutem, opes duntaxat coaceruando, famam familiæ gẽtisque suæ amplificando transigant, ne tantillum quidem cogitantes interim, quod loco VERÆ quietis & animo & corpori quendam præparent INFERNVM.

CCCCCXXI. Viri cum membra atque vires amiserint & deposuerint, animum tamen & voluptatem non deposuerint, animum tamen & voluptatem non deposuerunt: imò quo minus possunt, hoc magis appetunt, ita & senes aulici, quanto minus efficere norunt: tanto magis adhiberi negotiis volunt. Viri & iuuenes aulici, si contra voluntatem Principum discesserint, iis detrahunt ex composito calumniatores quicquid possunt: Punica ingenia decet.

CCCCCXXII. Aulicus, qui ob aduersariorum criminationes Principis odium incurrit, requirat statim obiecta & expurgaturum se affirmet, si notitiam criminum & copiam diluendi habuerit, vt supra.

CCCCCXXIII. Reperiuntur homines in aulis noua qui cuncta afferri venalia curant, vt inde lucrum capiant, qui in exordio gubernationis cũ mercator. expellẽdi sunt.

Qui principibus munera mittit, ille non dat
Sed quomodo quid rapida mente fœneratur
At sæpe Laros auiceps clusit hiantes:
Et sæpe Gryppum Polypus subdolum fefellit:
Captans aliena itidem captabitur ipse:
Tanto rapiens iustius ipse erit rapina. Venatio hæc est aulica absque canibus: quam tamen Principes probant.

Odi

Odi dolosas munerum & malas artes,
Imitantur hamos dona: Namq; quis nescit
Auidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico diuiti mihi donat
Liberalis est pauper.

Martial. 5.

CCCCCXXIV. Prudens aulicus diligenter apud se pensitet quem & qualem pro intimo amico & etiam ministro recipere velit. Nam sæpe pro amico & ministro venalem & emtum testem proditoremque cognouimus.

CCCCCXXV. Aulici liberius in conuiuio differentes, quantum fieri potest, famulos excludant. Aulicorum verba notantur, neque tam citò emittuntur, quam excipiantur, in deterius referantur, vendantur.

CCCCCXXVI. Gratiosi aulici quanto potiores, tanto erunt inuisiores, nisi authoritatem humanitate muniuerint: ea si non extinguere, minuere tamen poterunt inuidiam.

CCCCCXXVII. In aula semper nouorum principum ministri discordes sunt, & quis primas teneat, in diuersas factiones scinduntur: cui malo in tempore occurrendum.

CCCCCXXVIII. Istum, aulice, inter reliquos caueto, qui rei faciendæ gratiæ, nunc huic nunc alij factioni ad stipulatur & muneribus corrumpitur: omnibus omnia promittens.

CCCCCXXIX. Princeps licet aulicum proprio affectu diligat, tamẽ studeat simul habere validum patronũ, qui principis voluntatem in sui fauorem accendat, vt supra dictum, & talem precio & præce conducat. Roberto.

CCCCCXXX. Aulico parum refert quomodo à cæteris æstimetur, dummodo principi prudenti, qui illum

ſublimare & exaltare poteſt, probetur: pro vt fertur Stephanum Regem Poloniæ Magno Cancellario, tunc temporis Caſtellano, Iohanni Samoſcio, more maiorum ſtanti dixiſſe: *Faciam vt breui poſſis ſedere.*

Gloria ſi fugies Crocodili more ſequetur.
Sin profugam ſequeris, longius illa fugit.

Legatus tamen ſit loci ſui animoſus aſſertor: neque tam Deſignatoris Mareſeballi expectet collocationem, quam obſeruet principis ſui authoritatem, quandoque etiam rixando.

CCCCCXXXI. Idcirco aulicus in publicis congreſſibus & actionibus de loco & gradu præminẽtiæ non ſit ſollicitus omnemque locum ſibi honorificum eſſe dicat. Et ſatius eſt quis locum ornet quam à loco ornetur.

CCCCCXXXII. Videmus enim quandoque in ſtabulo inter equos Aſinum primum tenere locum.

Si prior incipis impia, principis ad latus ibis.

Dignitas in indigno ornamentum eſt in luto & ſine meritorum ſublimitate dignitas eſt titulus ſine homine: & ſæpius fatui fatuè fatuum eligent & præferunt.

CCCCCXXIII. Raro in aulis ſimplex ſermo inuenitur Galba cũ Piſone loquẽte teſte. *Ego & tu*, dicebat: *ſimpliciſſimè hodie loquimur: Cœteri libentius cum fortuna noſtra quam nobiſcũ.*

CCCCCXXXIV. Aulici, qui noluerunt alicui dignitatem quandam voto ſuo cõferre, effuſius cœteris euecto gratulantur & gaudere ſe ſimulant, vidi.

CCCCCXXXV. Aulicus etiam in habitu, inceſſu & ornatu ſuo multum adhibere debet curæ ne ex his cõgruis vel incongruis oriatur laus vel vituperium. Cum etiam in ſordibus quandoque ſit iactantia. Veſtis lugubris abijcienda priuata in aula, exemplo aulicorum Aſſueri.

CCCCCXXXVI. Aulicus ſemper conſilia & actiones ſequatur, quæ nobis honeſtatem, æmulo inuidiam adferũt.

CCCCCXXXVII. Mendaciorum aulicorum inprimis hæc est natura, vt quando incipiunt primũ vagus & incertus rumor spargatur, mox crescẽte mendacio præcipui quidam cum concionatoribus affirmẽt, quod ipsi nesciũt, vt ita populo credulo imponant. Res vt clarior fieret posset probari exemplo recenti, at valde odioso.

CCCCCXXXVIII. Plurimi aulici callidi, audaces, prompti prout animum intẽderint, praui ac industrii, sunt eadem vi.

CCCCCXXXIX. Non sufficit aulicum extra vitia esse si non & cum virtutibus sit ad hoc, vt gratiam & authoritatem in aula adipiscatur.

CCCCCXL. Aulicus famæ nec sit incuriosus, nec vẽdicator, pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus, publicæ auarus.

CCCCCXLI. Ars mira est in aulis eludendi volgus, q; coercere non possis, vt si necem alicuius vel captiuitatem flagitat iniustè iram simules, & maiora te facturum affirmes interim illum calamitate & supplicio eximas.

CCCCCXLII. Quod IC. Callistratus respondebat, id cur ad aulicos non transferatur causa nulla est. Aulicos quoslibet in vlteriorem familiaritatem prouinciales non debere admittere cum ex conuersatione æquali contemtus dignitatis nascatur.

CCCCCXLIII. Aulicus author sit principi, ne disputationes frequentes publicas & altercationes in causa religionis permittat.

Nam seruare modum laus est nimiumq; mouendo
In dubium trahitur religiosa fides.

argumentum inscitiæ est, inquit Plato, à bonis dissentire.

CCCCCXLIV. In præsentia Principis & extra consilium aulicus à narrationibus, disputationibus & contentionibus abstineat, nec iudicium vel sententiam de quoq;

ferat. De omnibus bene loquatur, maxime de ijs qui principi chari ſunt, factum non perſonam vituperet.

CCCCCXLV. Aulicus peruerſus ſcit nihil eſſe cõpendioſius quam aqua turbida piſcari: videat vt mortuo Principe pupillis relictis, excludat proximioris agnatos quocunque adhibito prætextu, & adminiſtrationem accipiat.

CCCCCXLVI. Magnus aulicus det operam vt erga Principem ſermone vtatur reuerenti de ſe moderatò, nihilque in vultu habituque mutet: ne cupiat cum Principe jocari, ne jocus male aulico cedat, vt ceſſit Comiti Scrimienſi Petro Damo jocanti cum Ladislao Polonorum Regi: qui in lecto habens vili comitem, dixit Princeps, *forſan mollius cubat vxor tua cum Abbate Serimienſi*, ille jocum joco retundens reſpondit: *fortaſſe & Regina Chriſtina cum Dobeſſo*: Chriſtina de hoc ſermone edocta, comiti carceri incluſo oculos effodit, linguam præcidit.

CCCCCXLVII.

Veriſſimè Aulicus Morus canit:

Sæpe mihi iactas faciles ad Principis aures
Liber, & arbitrio ludis vt ipſe tuo:
Sic inter domitos ſine noxa ſæpe Leones
Luditur, at noxæ non ſine ſæpe metu:
Infremit incerta crebra indignatio cauſa
Et ſubito mors eſt, qui modo ludus erat
Tuta tibi non eſt, vt ſit ſecura voluptas:
Magna tibi eſt, mihi ſit, dummodo certa minor.

CCCCCXLVIII. Graues aulici debent lente gradu incedere, & tarda voce vti: non tamen affectate.

CCCCCIX. Aulicus ſi negotium magni momenti cum Principe habet tractandum, id deferat auribus eius nullo alio negotio defatigatis, ne labor vel ſit imperfectus

vel inanis & hoc recte & modeste, vt Nathan Dauidi, tum mulier sapiens instinctu Ioab.

CCCCCL. Omnis aulicus oportet vt sit natura & arte compositus alliciendis hominum moribus. Sic enim facilius negotia ad finem perducet.

CCCCCLI. Aulicus vbi occasio se ostendet, in qua ipse ingenii & doctrinæ vim palam citra iactantiam ostendere potest, semper ea vti debet considerate.

CCCCCLII. Ita in aulis plerumque comparatũ est, vt honor imperii penes principem, vis & potestas penes ministrum aliquem quantiuis pretij sit, vt in Titiano & Proculo videndum.

CCCCCLIII. Prudens aulicus caueat, ne in moræ ægritudinem & spei impatientiam dilabatur: licet talis sit herba patientia, quæ adferat infinitis mortem.

CCCCCLIV. Si nihil acceperit aulicus muneris vel gratiæ in aula, ne statim impatienter spem abijciat, vel de solita diligentia remittat: breui enim & exiguo temporis spatio principis liberalitate labor & molestiæ compensari possunt: non sequatur Andream Martineum Pictorem Patauinum, ad Innocentii VII. iussum, septem vitia pingẽtem & de ingratitudine præteritorum officiorum tacite monentem octauum vitium ingratitudinem scilicet adijcientem.

Nam eo animaduerso & pictura inspecta dixit pictori Pontifex: *septem vitiis non tantum octauum, videlicet ingratitudinem adijciendam sed vt æqualis esset virtutum & vitiorum numerus virtutibus etiam octauam patientiam addendam.* Rectè itaque *Hoffræthe* dicti, nempe à sperãdo &c. Flagitare quod speres iniurium. Non ipsius rei nominationem esse Plato scribebat, sed sæpius fiunt lupi hiantes, vt habet prouerbium.

CCCCCV. In aula, bello, & tota humana vita spes &

præmia in ambiguo ſunt, certa funera & luctus: vnde eruditiſſimus & eloquẽtiſſimus vir condimentorum aulicorum non expers dixit:

Vita quid eſt hominum niſi ſpes incerta metusq́;
Hæc inter dubii viuimus & morimur.

Item.

Vita quid eſt hominum? ſpes & formido futuri
Multum triſtitiæ lætitiæq́; parum.

CCCCCLVI. Aulicorum miniſtrorum mos eſt apud principem, vt ſua quiſque facta extollat etiam (vt dicebat eximius quidam politicus vir magni nominis & ſummæ eruditionis) in Lepore capto, falſo vera aut maiora vero miſcens.

CCCCCLVII. Conſuetudo ſeruitii cum principe exigit, vt etiam pro iniuriis agantur gratia.

CCCCCLVIII. In aulis magnos progreſſus non faciet contumelia inſolens, & ludibrium ferre neſciens. Patienter itaque hanc vitam & viam conterat, vt ſupra honeſtè: ſi poteſt: Linguam inprimis mancipiorum contemnas: nam *lingua mali pars peſſima ſerui.*

CCCCCLIX. Miſeræ aulæ principum, in quibus nemo probitate & induſtria neque doctrina certare, ſed iter ſolum ad potentiam & dignitates arripere quilibet conſpicitur.

CCCCCLX. Improbi aulici præfecturas & alia officia vel bona pecunia ementes rurſus emungunt: vel non obtinentes ſolent iniquam iracundiam flagitioſa perfidia vlciſci: quod nonnullis Theologis quoque infrequens non eſſe exempla probant.

CCCCCLXI. Semper iuuabit aulicum potentes ſequi, & vincentis veſtigiis inſiſtere, ſi honeſtè fieri poteſt. In honeſtiorem enim ſententiam ſemper inclinandum: non in vtiliorem. Rarum in aulis axioma.

CCCCCLXII. Ab aulico, quæ apud principem infami gratia adquiruntur læta ad præsens malè parta, mox in perniciem vertuntur.

CCCCCLXIII. Aulici debent voluptates proprias & curas ex sanitate vel ægritudine Principis vel intēdere vel remittere & mortuo principe, non vt Theologus quidā superbus, beatè mortuo optimo Principe, *Te Deum laudamus* canere, sed debito modo deplorare secessum immaturum: sentis.

CCCCCLXIV. In improbo aulico patefacit auaritiā superbiam ac omnia occulta vitia, felicitas. Mirum itaq; non est, ꝙ ad summum euecti nimia felicitate fruentes euertantur.

CCCCCLXV. Callidi aulici solent specie obsequij regere principem, præsertim si princeps superbus vel socordis ignauiæ & simplicis naturæ ostenditur, vel solitariam vitam amet, quæ multis tamen pro paradiso.

CCCCCLXVI. Aulicus ad omnia quæ agenda sunt quieta cum industria accedere debet & sine iactantia, peractis, ocioso similis, tamē modica audacia adhibita, animæ enim bonæ requisita tria sunt ex sententia Platonis, *Beneuolentia sententia & audacia.*

CCCCCLXVII. Turpe est quidem dictu? at ita radicitus introductum, omnium aularum proprium vt dona nobis aditum ad gratiam, fauorem & officia aperiant. Qui est perfectus aulicus & prudens debet potius carere & officio & gratia, quam eo pacto colligere, *Da cupias, quæras, plurima, pauca nihil.* Qui tamen eo modo ambit, ampliter gratum & munere esse oportet.

CCCCCLXVIII. Is dicitur mos aulicorum in curijs Principum, teste Zasio, vt neminem frustra promoueant. Et promissum ijs soluendum est nisi fumum vendiderint. Prudens aulicus hunc morem improbet & fugiat, rarò enim expedit.

Muneribus inhiantes aulici pacis & belli tempore hostibus sunt perutiles: vti memini Regem præstantissimum quandoque dixisse.

CCCCCLXIX.

Nihil est quod aula det absq; argento:
Nauigat infelix qui caret huius ope:

Et ipsæ manus impositiones & spiritus sancti dona venduntur, teste Æneæ Syluio : nec peccatorum venia nisi nummatis in aula Romana impenditur. In omni vitæ genere, sunt qui habent manus inquinatas, quasi glutino ac visco gypsatas piceque infectas.

CCCCCLXX.

Curia vult marcas, bursas exhaurit & arcas.
Si bursæ parcas, fuge papas & patriarchas,
Si dederis marcas, & eis impleueris arcas.
Culpa solueris quaq; ligatus eris.
Curia Romana non pascit oues sine lana.

Ambitio & pecunia primum occupant locum in aula.

CCCCCLXXI. Vacuæ enim manus temeraria est petitio, & profecto importunus est precator, qui dandus ad verba confidit: apud aulicos & medicos dicterium antiquum obtinet:

Pro solis verbis montanis vtimur herbis
Pro charis rebus pigmentis & speciebus.

CCCCCLXXII. Dum dolet accipe, facturi & iam sibi expedire crediderint, vt doleat, quod sanum est.

Sola pecunia destruit omnia cuncta venenat
Cor scit, onus premit, arma dat, os emit, ora serenat.

Verum opes ea arte adquisitæ peribunt. Aquilarum penna mixta, aliarum pennas alitum deuorant.

CCCCCLXXIII. Et certe largiter dandum, vbi quod obtinueris: nam in aula.

Causæ perduntur, quæ paupertate reguntur:

Sed dare ac non potiri miserum est. Et facile munus dantes *assidui* appellantur ab assibus duendis hoc est dandis.

DLXXIV. Familiare & solemne etiam infimæ conditionis Aulicis vt fumum vendant, splendidis & magnificis pollicitationibus, quæ tamen congruo carent effectu: Cum apud Principem ipsi gratiam tantum simulatam & fictum fauorem habeant.

DLXXV. Fumo puniatur qui fumum vendidit: sed cõtrarium in plerisque aulis obseruatur, modo etiam fisco aliquid inde accrescat. Gratiores enim sunt, qui in explebili rapacitate populum vexant.

DLXXVI. Aulici sapiunt, qui accepto beneficio aliquo aulæ valedicunt, ostendunt enim animum expletum esse & se periculo subtrahunt: Quia in curiales frequenter accidit, Ænea Syluio monente, vt veluti sues vbi saginati sunt in cœnam Domini mactentur.

DLXXVII. Quod etiam eo modo neque iniuria potest, vt subducta ratione & calculo instituto, quid in aulam attulerint, quid dotis forsan, stipendij & gratiæ loco annuatim habuerint, reliqua tanquam ablata restituant, inprimis quando iuniores principes sunt sub cura.

DLXXVIII. Qui opes magnas adepti apud principes perseuerant aulici, non eo fine manent, vt gratias referant: Sed vel tuto abire nequeunt, vel nondum auro repleti sunt: & vitam, quam sciunt esse malam, mutare non possunt, vel relictam rursus assumunt & cum Bernardo de Crabrera reuocati pareunt. Non itaque ad tempus recte relinquimus, sed in perpetuum aulam:

DLXXIX. In aulis si deessent Thrasones inuanum clamarent Guathones. Thrasonibus istis & gloriosis qui

fœdo pudendoque vitio laborant, reponimus illud Martialis Epigramma.

Declamas bellè, causas agis Attale bellè,
Bellus Grammaticus, bellus es Astrologus,
Et bellè saltas, & saltas Attale bellè.
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ:
Nil benè cum facias, facis attamen omnia bellè:
Vis dicam quis sis: Magnus es ardelio.

DLXXX. Et tamen in aulis experientia probat, tales optimis & prudentissimis & opibus & honoribus ornatos præferri: Et licet cum S. Paulo hic dicere: *Libenter suffertis insipientes, cum sitis sapientes.*

DLXXXI. Aulicus quærat opes quasi de ijs non admodum sit sollicitus, cum diuitiæ plerumque comitẽtur indignos Aristotele authore, & onus bonæ mentis sint.

Et diuites vel sint impii & iniqui vel iniqui hæredes. Purefactę diuitiæ tuæ. Auari mihi medium vnguem ostendent ne? Nec sunt fideiussor futuræ necessitatis.

DLXXXII. Aulicus non est laudandus, vt neque alius qui multa cupit & pauca aggreditur. Oportet namq; animũ & opera conuenire, si quis commendari postulat.

DLXXXIII. Aulicus non ita animo se dimittat & spẽ abijciat, si statim princeps, cui inseruit, illum beneficio nõ ornet, nam differtur aliquando tanquam maiora merito.

DLXXX.IV. Princeps nunquam assumat aulicũ prætendentem se salarium vel stipendium non cupere, subest enim aliquid mali. *Seruet gratiæ & gratis qui volet: Boni viri gratis Principibus ac conscientiæ.*

DLXXXV. Aulici probi solam rationem præuiam & honestatem in consiliis habere debent, sequatur qualis, qualis euentus nihil ducentes. Callidi verò in sermone ac in vita sunt ita comparati, vt ex euentu rerum aduersa abnuant vel prospera cognoscant.

DLXXXVI. Aulicus cum variis hominum generibus tractaturus variè etiam se gerat, quod facile poterit, si naturam & hominum mores nouerit.

DLXXXVII. Aulicorum pestiferum genus est, qui rei faciendę causæ falsum pro vero confirmant laudantq; quęcunq; honesta ac inhonesta, audiũt à principe, Gyneceo & volgo laudari, & in aures principum ficte & simulate, vt Cic. loquitur, insusurrant, & rursus ijs vituperantib. vituperant, laudanda Polypi ad speciem non colorem, sed animum ratione soli mutantes & conscientiam venditantes quæ putrefacta gignit vermiculos immortales: speciosa & munda tanquam facies pulchra animæ gratiam Dei conseruat.

DLXXXVIII. Improbi & indocti aulici, vt melioribus & doctioribus viam præcludant, sempiterna memoria dignos ne emergant, quacunque possunt arte premunt, malitia, calumnia & mendaciis, nunc celebrant pro sua libidine bonos & improbos viros, à quibus: bonus optimus venditur princeps.

DLXXXIX. Aulicus & miles inter cætera etiam in eo differunt, quod miles soleat, vt plurimum apertè ac simpliciter simultates exercere, idem habet in ore idem in corde: contra aulicus fingit, simulat, decipit etiam, si occasio patitur. Pacis itaque tempore nudum & merum militem euertet aulicus.

DXC. Aulicus cautè se gerat tam circa offensas acceptas, quam aliis illatas, ab vtroque hominum genere se tectum seruabit.

DXCI. Aulicus ne in anticipitia incidat, sciat in rebus dubijs multos consilium dare, paucos vel nullos partem periculi sumere.

DXCII. In aulis stat in occulto inuidia & auaritia; adulatio & ambitio in aperto. Claudianus.

Trudis auaritiam cuius fidissima nutrix

Ambitio quæ vectibus foribusque potentum excubat: ad inuidiam amoliendam ne tamen descendas advitiorum irritamenta.

DXCIII. Inter prudentis aulici numeratur indicia loqui de absentibus principibus semper tanquam essent præsentes: Sæpe enim nonnulli sermones inducuntur artificiose de aliquibus principibus vt præbeant occasionem obloquendi. Et prudentis est scire, quemadmodum vnicuique respondeat.

DXCIV. Modestia & ignobilitas sunt mali comites in aula, vt & in bellis. Caueat itaque aulicus, ne nimia modestia, quæ vulgo frigiditas appellatur, laboret erit enim, ex sententia Taciti, præmiorum expers.

DXCV.

Malus est minister regii imperii pudor.
Homeri est sententia à Platone repetita,
Verecundiam viro egeno non conferre.

DXCVI. Magnus semper erit aulicus, qui præstat se cunctæ vitæ officiis æquabilem, opum contemtorem recti peruicacem & constantem aduersus metum.

DXCVII. Prudens aulicus nunquam aliquem accuset, vel criminetur, cum dubia in hoc est voluntas principis frustra enim aget, & perniciem sibi adquiret, & non prodest integram vitam peragere & os sordidum habere.

DXCVIII.

Tutus vbiq; manes si calliditate valebis,
Non est simplicitas digna fauore magis.

DXCIX. In sententiis ambiguis quæ contra principis prudentis votum profers directoque currunt conuenit quiescere quam vrgere.

DC. Si tamen salua existimatione silentio inuoluere

iniurias acceptus nō poterit, iudicialiter aduersarium prouocet & actionibus experiatur, quam viam vti legitimam nemo improbauit probus.

DCI Si tamen in minutis inuidus obtrectauerit, rem omnem diligenter inquirat, consideret, & cōtemtu potius quam odio se vindicet, iniuriam silentio obsignet, vindictam occasione.

DCII. Christianus verò obtrectatori ignoscat & in gratiam redeat, odiumque deponat in primis si conduxerit Regi vel principi vel publico bono.

DCIII. Aulæ sunt plenæ fallacibus amicitiis & occultis insidiis, quę latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis vinculo.

Inueniuntur enim infiniti qui dicunt: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.*

Quam qui dicunt, is innocens est.

Imo infiniti qui ne destituantur honore clamant, *si dimittis hunc non es amicus Cæsaris.*

DCIV. Aulici varia prædandi vocabula adinueniunt in perniciem subditorum , quæ admittere fisci vel ærarij causa non debent principes, fiscus enim nunquam male habuit, nisi sub bono principe.

DCV. Sicut prata humorem: Sic aulicus bona & honores & miles prædam semper sitit, & hinc dicuntur cancellis similes qui nudi nati & absque domicilio alienis se ꝓtegunt vestibus ac domibus, Aeliano teste nec sitim etiam in extrema ętate amittunt, bis pueri senes: Spolia milites in rogi militaris lustratione restituebant.

Hinc alii spolia occisis direpta latinis,
Conijciunt igni: galeas ensesq́, decores.

Aulici nunquam restituunt ablata, & vt ablata abscondant, vel permutatione in alios transferunt vel in feudum ab alio Domino accipiunt Roberto.

DCVI. Is aulicus artifex in politicis censendus est qui variarum rerum & linguarum cognitione religionis, historiarũ, iuris, politices, cõsilio firmo, lingua diserta, & calamo expedito instructus est. Sit sermone blãdus, stylo grauis, calamo excellens, arte politus, vestitu splendidus, couiuijs magnificus. Totum senatum talem optamus.

DCVII. Et talis σύμα senatus aulici quodam modo ἔμψυχος νόμος rectè dicitur. Imperatori est pars corporis proprij adhærent enim consiliarij Regno, vt membra corpori & cymba: Sic sapientes adhærebant Assuero siue Xerxi, & *CVNCTA ipsorum consilio faciebat.*

DCVIII. Aulici ICti in proba iuris prudentia exercitati in aula non sunt negligendi. Sed videmus multos infectos aulico fumo immoderatos animi affectus nimiũ laxare perniciosè sibi imperare, omnia assentari ad principũ non modo voluntatem, sed etiam vultum & nutum, nihil eloqui, quod sit è re aut dignitate imperij, cuiuscunq; rei vt aulicorum Coriphæus loquitur sermo inciderit, aut si de iure q̃ritur historias & leges p̃ter rem adducunt & ad dominorum sensum interpretantur, aut cũ pugnant pigmẽto & fuco molliunt: & quærunt cibum ex flamma, hoc est iniustis rebus ementita iuris subsidia. Raro enim conseruantur diu
„ continentia in muliere: calor in pane: sapor in vino, fides in
„ Aduocato.

DCIX. Aulicis ICtis non tantum hoc malum adscribimus, sed ferè omnibus in aula versantibus: Emolumenti enim falsa species, honestis consilijs sæpius tam in publicis quam priuatis præponderat.

DCX. Aulicus etiam excellenter in iure versatus ne facile partes Aduocati (alioquin Impp: rescriptis nobilissimas & amplissimas) assumat his moribus, propter authoritatem & dignitatem conseruandam, tum propter fauorẽ multorum retinendum.

Cum

Cum illa pestis Europæ caninum illud studium propter abusum *concessum latrocinium* vocetur:& nulla causa sit tam sordida, tam iniusta, tam vulnerata, imo nefanda, impia, scabie, lepra & omni vitiorum genere deprauata, quæ non habeat emunctores nummorum, egregios patronos & defensores plerumque adulatores, ambitiosos auaros, & idcirco quandoque expulsos.

Fugiat nomen & rem, cum mercenariorum more hodie conducantur annuatim paucis nummis ad Iurisprudentiã nullo pretio nummario æstimandam, tractandam, imò cõstuprandam: apud Græcos & Romanos sordidum & inhonestum fuit ex patrocinio quæstũ facere, Plutarcho teste. Claudius & Nero honestum quæstum statuerunt.

Insuper recte Imperator Iustinianus constituit, ne quis audeat in vno eodemq; tempore tam aduocatione vti quã Consiliarij cuiusquam magistratus, quibus Respublica gerenda committitur, curam arripere: Cum satis abunde sufficiat vel per aduocationem causis perfectissimè patrocinari, vel assessoris officio fungi, ne cum ad vtrumque festinat, neutrum bene peragat: Sed si aduocatus esse maluerit, hoc cum debita solertia implere possit: vel si assessionem elegerit, in ea videlicet permaneat. Absurdum enim est, si promiscuis actionibus, vt alibi Imperator loquitur, rerum turbentur officia, & alii creditum, alius subtrahat.

DCXI. Nobilem Aulicum & aduocatum esse & Doctoris gradum habere absque ignominia & diminutione nobilitatis posse, indubitatum at hodie non consultum neque conducibile est: Cum propter copiam & quod absque discrimine creentur, vilescat & non vsque adeo sit in pretio & apud intelligentes & volgum in contemptu: vt hodie multi gratis oblatum accipere recusarent, vel illi qui habent aliis concederent.

Omnium aliarum artium peccata pudori ſunt artifici, ſed peccata aduocatorum pecunia compenſamus.

Quòd mirum? vt cæcus diſcernit nemo colores
Horum diſcernit, Sic quoq; turba nihil.

Et hodie Doctores vocari, haberi & ſalutari velint, qui non ſunt: & qui ſunt nolint.

DCXII. Aulicus magna ſibi per Xenia & munera planiciem ſternere, & offendicula amouere poteſt: quo medio vti quandoque ob deprauati ſeculi conditionem, neceſſe eſt: quod tamen non pugnat cum ſuperioribus.

DCXIII. Aulicus an ipſe Xenia accipere poſſit, quæritur? Et cum Antonio Imperatore reſpondemus: οὔτε πάντα, οὔτε παντότε, οὔτε παρὰ πάντων, *neque omnia neq; quouis tempore, neq; ab omnibus.*

Nam valde inhumanum eſt, à nemine accipere, ſed paſſim vliſſimum omnia auariſſimum.

Aut ego te potius: quam tu dona ſequor.

Atque ea non ſperno: Alto tamen vultu ſordes & corruptiones reijciat & ſpernat tum maſculè offerentem excipiat Aulicus.

DCXIV. Laude digni ſunt illi, qui à priuatis & publicis, pauperibus nihil, inprimis iuſtitiæ promouendæ cauſa: Sed à Principibus oblata, grata mente accipiunt: inprimis ſi exhibuerit Princeps ex mera gratia, in ijs enim rectè dicitur: *Non quæro qui d te accipere deceat: ſed quid me dare:* quod tamen inſulsè exagitat Seneca deteſtandi & deteſtabiles, qui iuſtitiam & veritatem vendunt. Aulicos minimè laudamus illos qui ſine fine & modo vel ærarium Principis perfringunt, vel bonis in verecundè cũ aliorum diſpendio excogitato compendio inhiantes, immodicè opes cum diminutione ærarii principalis vel fiſci congerunt, negligentes, quæ ſaluberrimè ſtatuerunt Impp: Omne ſemen alienas appetendi fortunas eruendum. Vnde illis iniuriam nõ

fieri

fieri, Parlamenti Parisiensis authoritate fretus existimo, si, vt supra dixi, separatio bonorum instituatur, veræ & iustæ gratiæ stipendii annui sordium & extortorum bonorum, & exerceatur remedium, *De immodicis donationibus reuocandis*. Qui enim sordidè est auarus, vt is vir bonus sit, fieri non potest, Æschine affirmante.

Bona tamen modica iustis concessa, ijs non debent auferri: omnes grauius irascuntur, si semel concessis priuentur, quam si speratis frustrentur.

DCXV. Peruersi aulici cum ad canos, inquit Maiolus, in proditionibus, adulationibus, mendaciis, fraudibus simul etiam miserijs versati peruenerunt & ingentes opes corraserunt, tum primum fas nefasque in gratiam principum confundunt & omnia iniqua probant vt filios hæredes iniquitatis, rapinæ & dignitatis relinquant & in eo non parcunt pecuniæ vt omnium gratiam adquirant & retineant.

DCXVI. Ingeniosi aulici tamen prætendunt, quod omnia non in aula Principis adquisierint, sed ex aliis locis attulerint. Non probanti ne credas.

DCXVII. Ridiculi sunt aulici, qui rapinis, dolo, fallaciis, versutia, sibi diuitias, ærusćatores compararunt, si putant Deum rectè coli & peccata remitti, si Eleemosynas copiosè distribuerint, Nosocomia & similia fundarint: Verus aulicus & sincerus virtutem spirat: nobilis & altus animus quæstum talem ridet & damnat: vt & compendia & aucupia ingeniosa exercentem norunt enim:

Pauperiem per se nunquam peperisse dolores
Lætitiam nec opes multo sudore paratas.

DCXVIII. Aulico stipendium integrum ante tempus definitum remoto vel dimisso ex cognitione & iuris dispositione debetur: Remotus propter culpam non per-

didit ex sententia ICtorum salarium præteritum, sed futurum.

DCXIX. Iuuenes & Tyrones in aulis loco semper posteriore ponantur. *Nec enim patimur* inquit Imp. Honorius, *quenquam celsiorem gradum obtinere, nisi cui laborum assiduitas & stipendiorum prolixitas suffragantur*, & Arcadio & Honorio rescribentibus: *Honoris augmentum non ambitione sed labore ad vnumquemque conuenit deuenire.* Scriptura testatur fortissimis & doctissimis prærogatiuam deberi, vt Manasse.

Relinque tamen ambitum inquit Seneca, Aulicus tumida res est, vana, ventosa, nullumque habet terminum.

DCXX. Aulicus ne gloriosus appareat coram Principe, & accepta omnia Principi referat, & in loco magnorum ne steterit: *Melius enim est, vt dicant tibi: Ascende huc, quam vt humilieris coram Principe, quem viderunt oculi tui.*

DCXXI. Noli aulicis consiliariis dare vinum: caret enim clauo, quia *nullum secretum est, vbi regnat ebrietas*, inquit Salomon: nec militibus: quia Agrippinenses largis epulis vinoque sopitos Germani clausis foribus igne injecto cremauere. Cum vini vis penetrauit, consequitur grauitas membrorum, præpediuntur crura, vacillant, tardescit lingua, madet mens, nant oculi, clamor, singultus, iurgia gliscunt. Nec facilis victoria de madidis & Blæsis atque mero titubantibus.

DCXXII. Aulicus fælix est, qui Camelum in siti tollceranda imitari potest, is enim in quatriduum sitit, impleturque si occasio est bibendi, in præteritum & futurum.

DCXXIII. Nouum Principem adhuc ministris & contubernalibus vacuum primo occupare solent, callidi

aulic.

aulici & sacerdotes sub spe magna pietatis & vtilitatis prætextu.

DCXXIV. In aulis vsitatissimum est differre in alium diem petitiones oblatas, quod etiam Roboam solenne fuit, dicenti, *Ite vsque in tertium diem, reuertimini ad me.* Is qui petit, illam dilationem animaduertens, intermittat suadeo, vel enim nullum vel non gratum accipit responsum, licet nullum responsum, sit & habeatur in aula tanquam responsum. Contrarium asserere est hominis nihil de dignitate deque periculo cogitantis.

DCXXV. Quemadmodum Mutianus, quod diu occultauerat, tandem vt recens exprompsit: Sic aulicus non statim, quod in animo habet, proferat, sed commodã occasionem expectet, & arietem obijciat.

DCXXVI. Aulicus ab initio statuat, si recte egerit laborum aulicorum præmium esse sapere & pœnitere iuxta illud.

Contriui misere miser tot annos
Gustando mala, gratias agendo,
Sperando ingenueq; seruiendo
Tantorum mihi præmium laborum
Sunt sapere atq; pœnitere.

Alij alio modo mutarunt:

Transegi miserè miser tot annos
Gustando mala, gratias agendo
Sperando ingenuè seruiendo
Nunc post hos tantos mihi præmium labores
Sunt serò sapere atq; pœnitere.

DCXXVII. Si peruerse & praue collectas opes adquisierit sciat non profuturas hæredi. Communis tamen est opinio improborum aulicorum: *Nihil iniustum quod fructuosum.*

DCXXVIII. Abraham repudiatis bonis à Rege Sodomæ oblatis, largissimam & magnā mercedem à Deo accipiebat. Quis aulicorum credit? Tum Laban Iacobo mercedem denegasse Deum exoluisse.

DCXXIX. Miserum quod est: & miserius, quod fratres illi scriptum reliquerunt Anglicani:

Vitam, animam, operam, sumptus impendimus aulis
Præmia pro meritis quæ retributa putas?
Aula dedit nobis rescripta notata papyro
Et sine mente sonos, & sine corde manus.

DCXXX. Paucos beauit aula, plures perdidit, sed & hos quoque ipsos, quos beauit, perdidit. Ibi manus de tabula.

DCXXXI.

Scribitur in porta; pro verbis verba reporta.

DCXXXII. Conducit hoc aulico: Quemadmodum enim ablactari solent infantes, si mammæ matrum vel nutricum re amara oblinantur vel ad tempus remota matre: Sic Deus aulæ delicias miscens rebus amaris & acribus, nos auocat ab aula & vitæ æternæ gustum præbet nobis. *Tribulatio* enim teste Augustino, *medicamen ad salutem*. Credisne Aulice? Crediderunt fratres mei omnes aulici, Fridericus, Iohannes, Petrus de Weihe: Credo & ego non inuitus. In senectute enim aduersitates aulicas immeriti senserunt, & magno animo deuorarunt. Gratiam tamen Dei & Principem retinuerunt, vsque ad extremum vitæ spiritum:

DCXXXIII. In aula: adulantur venientes, lamentantur, abeuntes. Abner, Ioab, Achitophel.

DCXXXIV. Aulicus sapiens quando deprehendit sibi plus prudentiæ, authoritatis, gratiæ, virtutis & aliarum donorum à Deo datum, ac aliis, tunc cogitet, tanto magis se obligatum ad iuramentum proximum: Et Papiniano do-

cente intereſſe hominis hominem beneficio affici: & pius aulam relinquat in qua viduis, pupillis, oppreſſis prodeſſe nequit:

DCXXXV. Aulicum vix dixeris, in quo non concurrunt virtutes animi & corporis ſtudium agendi, cogitationes illuſtres, mores elegantes, actiones magnificæ, & verba pura.

DCXXXVI. Principem ſuum aulicus ne extra modum laudibus ornet, quemadmodum enim prudentes offendũtur, ſi culpaueris: ſic etiam quando præter rationem laudaueris: Lauda omnia parcè, etiamſi omnia in atriis Principum ſplendidè corruſcent.

Quam enim promtum laudare Principem: tam tutum ſiluiſſe de Principe, & patria: Quis enim patriam laudauerat, ob copiam aſinorum & ſtultorum, vel ebrioſorum, vſurariorum.

DCXXXVII. Quemadmodum medicus in infirmitate curanda vel membro ſanando diligenter proſpicit, ne adhibitis medicamentis aliud membrum lædatur: Sic aulicus author ſit Principi, vt ita curet Rempubl. ne conſeruando vnam partem, alteram deſtruat, in primis in exigendis & congerendis pecuniis. Receſſit ab aula.

DCXXXVIII. Turpe eſt aulico omnium regionum in quibus ipſi verſandum eſt, ignorare conditionem & ſtatum, Principum potentiam, ſcientiam conſiliariorum, familiarum originem, inſignia, inprimis noſſe debet.

DCXXXIX.

Aulicus doctus dici debet.

Non qui multa tenet, ſed qui ſcit idonea vitæ,
Hic dici doctus cur mereatur habet.

DCXL. Similiter quot nam habeant Principes arces, præfecturas, Syluas, piſcinas & ſimilia, etiam quos

exercitatos in arte militari, in alijsque scientijs, vt supra dictum.

DCXLI. Aulicus itaque non credat neque referat Magnum Ducem Muscouiæ 300. & Poloniæ 200. millia equorũ educere posse. Quod enim Guaquinus scribit, Poloniam habere ducentorum millium voluntariorum Nobilium & 200. necessariorum exercitum, & Polonos trecenta millia mercenariorum conscribere posse, fabulosæ narrationi annumeramus, vt & illud in Lucomoria populos habitãtes 27. mensis Nouẽbris die, præ intenso frigore brumali mori, & redeunte vere 24. Aprilis die more hirundinum & ranarum reuiuiscere.

DCXLII. Multi superstitiose inquirentes existimãt totius orbis Christiani monasteria esse 225044. Et Germaniã habere 52. Episcopatus, Abbatias 63. Præposituras 120. Commendaturas 22. Galliam vero 100. Achiepiscopatus 650. Abbatias, 2500. Prioratus, 1700000. Turres: at si quęsieris, quot arces, quot ciuitates benemunitas, quot viros bonos, in quolibet scientiarum genere habeat Europa, multos esse mutos deprehendes.

DCXLIII. In viribus & reditibus examinandis non libris historicis semper fidendum. Muscouiæ vix trecenta millia armis instruere posse, sciunt illi, & narrant, bellis Polonicis qui interfuerunt: Stephanum enim vltra 60. millia non habuisse certum est.

DCXLIV, Aulici ne sint Athenienses, hoc est ne sciãt quod est rectum & iustum tantum, sed etiam faciant:

Quid iuuat innumeros scire atq; reuoluere casus
Si fugienda facis & facienda fugis.

DCXLV. Aulicus egregius fuit Seneca & tamen accusatur à Dione, quod aliter dixerit, quam fecerit, eum non sciendi, sed faciendi scientiam vbique tamen commendauerit.

Cum enim Tyrannidem improbaret, Tyranni præceptor erat: cumque insultaret ijs, qui cum Principibus versarentur, ipse à palatio non discedebat. Assentatores detestabatur, cum ipse regiones coleret & libertos, ac laudationes quorundam componeret.

Reprehēdebat diuites is, cuius facultates erant ter millies sestertium vel septuagies quinquies centena millia, quique luxum aliorū damnabat, quingentos tripodes habuit similes & pares inter se de ligno Cedrino, pedibus eburneis, in quibus cœnabat. Quam multi adhuc Senecæ in aulis? Dioni Græco non crederes nisi Tacitus amicus scripsisset; vel tantum virum merito possedisse nō possidentē.

DCXLVI. Sunt quoque Aulici, qui bona à Principe vel controuersa vel Ecclesiastica permutant, quasi nihil nisi optimo iure & titulo iustissimè possideant.

DCXLVII. Bene actum est cum Aulico, si eam partem felicitatis poterit consequi & ab animo proprio impetrare, vt vitæ finēm finiat priuatus, portum oculis votisque quærens inueniens, dicensque cum Diogene γῆν ὁρῶ, *Terram video*, & è fluctibus vitæ aulicæ extuli pedem & euasi de naufraga rate & arenulam fundi mei securis osculis adoro, de littore lustro oceanum superbiæ ambitionis, nugarum, vanitatis, & horrore grauissimo omnia aulica despicio & in eo quiesco & dico libenter: *Sub lare priuato tempora sola teram.* Non enim in Christianis laudantur initia, sed fines.

DCXLVIII. Moriens vero inscribi curabo sepulchro: Similis Præfecti Palat. sub Adriano Imperatore.

Epithaphium.

Aulicus cuius ætas multorum annorum dolorum laborumque fuit, ipse septem duntaxat annos vixit, remotus procul negotiis, vita bona, vita longa.

DCXLIX. Si-

DCXLIX. Similis enim Dione referente, dimiſſus ex aula, ruri reliquos ſeptem annos conquieuit, neglecta dignitate Maieſtati Auguſtorum proxima: cum alioquin felicem & infelicem aulicam vitam infelicior obitus plerumque comitetur. Mundus enim omnia bona impedit.

Delitiæ mundi luſus, ſapor, vna libido:
Impediunt ſtudium, munia, ſenſa, preces.

I. Maior.

DCL. Aulicus ſi quid præclari geſſerit, ſatis eſt, ſi res ipſa clamet, quam conducit buccinatores. Quamobrem Burchardus à Cram aulicus præſtantiſſimus in extrema ferè hora mortis Principem Illuſtriſſimum Landgrauium Ludouicum excellentiſſimæ memoriæ, Seniorem, rogauit ſubmiſſè: *ne Concionatores Panegyricum inſtituentes laudarent, vel vituperarent mortuum: Laudes notas viris bonis: Errores & culpam remiſſam à Deo FACTIS monumentum ſuis dant opera.* Sic Demoſthenes ait, Legatos malè adminiſtrata legatione, neque laudari, nec in curiam vocari: propter honorem obitæ legationis. Probos nomen immortale relinquere certum eſt.

DCLI. De Epithaphio Aulicus ne ſit ſollicitus: Cum bonis & improbis hodie ſint communia: optimum Epitaphium optimus ſucceſſor & in templis loco ſanctorũ imagines vſurariorum & ſimilium ponantur: Vnde ob rei indignitatem, Poeta quæritur.

Marmoreo Licinius tumulo iacet, at Cato paruo
Pompeius nullo credimus eſſe Deos?
Nec tumulum curo, ſepelit natura relictos.

Nec ab homini mortali, ſed à Deo immortali, immortalitatem habent pij ἐπίσημον εὐσέβειαν eſſe καλὸν ἐπιτάφιον veteres dicebant

DCLII. Et

DCLII. Et cui bono etiam ſplendidiſſima Epithaphia: cum & Regum & Ruſticorum corpora in puluerem redacta, exiguo puluere tegantur, quod Cyri Epithaphium teſtatur vniuerſum orbem poſſidentis.

DCLIII.

O VIR QVICVNQVE ES, ET VNDECVNQVE ADVENIS
NEC ENIM TE ADVENTVRVM IGNORAVI
EGO SVM CYRVS QVI PERSIS IMPERIVM CONSTITVI, PVSILLVM HOC TERRÆ
QVO MEVM TEGITVR CORPVS MINIME IN VIDEAS.

DCLIV. Et infinitis ſi verum fateri volumus: vinea pro aurea ſtatua hodie eſſet ſtatuenda, hoc eſt bibacitati & vinolentiæ: Plauto lepide monente.

DCLV. Catonis exemplo rogari mauis cur ſtatuæ in roſtris donatus non ſis, quam donatus ſis, quoue merito obtinueris: *Malo*, inquit Cato, *bonos ambigere, quamobrem id non meruerim, quam quod eſt grauius, cur impetrauerim, muſſitaſſe.*

DCLVI. Qui enim, inquit Seneca, imagines in atrio exponunt & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum illigata flexuris in parte ædium primum collocata NOTI magis quam NOBILES ſunt: Aulice.

Nec te decipiant veteris plena atria ceræ.
Tolle tuas tecum, pauper amator aues.

DCLVII. Aulicus ſi omnia exacte obſeruauerit quæ in libris prudentum ſcripta ſunt, memor tamen ſit Pſalmi in quo Dauidis ſententiam hiſce verſibus Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus Dominus Mauritius Landgrauius Haſſiæ inter literatiſſimos potentiſſimus, & inter

potentissimos literatissimus Heros & omnium Politicorum Choragus expressit:

Qui Domino fidit felici nauigat vnda
Fidere Principibus ventus & aura leuis
Non te decipiat, non auferat aula potentum
Nam fauos ancipiti vertitur ille loco.

DCLVIII. Et iam prorsus calumniis eiectus & inuidia suppressus valedicat non tantum aulæ, sed vniuerso mundo immundo, repetens viriliter illud:

Feci quod potui, potui quod Christe dedisti
Improba fac melius si potes inuidia

DCLIX. Totusque sit in pijs lectionibus & meditationibus sacris, magno animo vanitatem mundi ridens dicat:

Inueni portum, spes & fortuna valete.
Nil mihi vobiscum est, ludite nunc alios.

DCLX. Postremo vt breuiter cum verbis Bernhardi concludam & complicem aulici maris vela: *Tunc inuenisti sapientiam, si mala tua præterita defleas, si præsentia hæc bona paruipendas: si futura bona toto cordis desiderio concupiscas: Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Vidi*, inquit Dominus, *lachrymas tuas, & sanaui te.*

DCLXI. Mundo enim & aulæ nemo secure confidere qotest, vt summa eloquentia Antonius de Gueuara *in tractatu de vita priuata* demonstrat, & maiori cum zelo sacra scriptura inculcat.

DCLXII. *Filioli ne diligite mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, caritas patris in eo non est: quoniam quicquid est in mundo cupiditas carnis & libido oculorum & factus vitæ non ex parte sed ex mundo est.* 2. *Iohan.* 2.

Porro mundus præterit & cupiditas eius. Qui vero præ-

ſtat voluntatem Dei, manet in æternum & paſſim *Philip.3. Matth.6. Philip.2. Iohan.6. Luc.14. Pſalm.4. Heb.10. Pſalm.75. Iud.4.13. Pſalm.134. Lucæ 22.*

DCLXIII.

Eleganter Widebramus canit:

Vita viatoris quaſi tranſitus, omnia finem
Quæcunq; immundus mundus honorat habent
Tranſit honos, virtus, fortuna pecunia tranſit:
Mente Deo ſimilis corpore tranſit homo
Tranſiuere patres, ſimul hinc tranſibimus omnes
In cœlo patriam qui bene tranſit habet.

Immortalium metallorum fulgore precioſam.

DCLXIV. Nihil denique eſt, quod magis contemtũ mundi adferat, quam fragilitatis, imbecillitatis ac mortis incertæ conſideratio: & perpetua in cœlis habitatio, *Iac. 4.* Diego Stella *del vanita del mondo.*

DCLXV. Aulicus itaque tranſitorius præſentium rerum breuitatem & futurarum æternitatem conſiderans, operam det, vt ex hac aula immunda & lubrica, in mundam & æternam tranſire, in futura vita dies æternitatis inuenire poſſit, vt ſobrie & non delicate viuat ægrotos & incarceratos inuiſet, pauperibus & orphanis ſuccurrat, veſtitu aulico relicto, & conuiuiis repudij libellum mittens. Mors in vltima mundi Scena auleum tollit & veluti puerorum luſum fiunt.

DCLXVI. Fac Domine propter miſericordiam tuã, vt antequam moriar, omnia in me aulica moriantur, quæ vitam veram impediunt.

DCLXVII.

Diuinæ tuæ gratiæ.

Offero me, & penitus me in te transfundo totam ſubſtantiam meam, quicquid teneo, quicquid ſcio, quicquid

possum, in vera vnione ardenter & lubenter: etiamsi ad infamiam, ad abiectionem, ad paupertatem rerum extremam me volueris efficere, omnium miserrimam creaturã per media quæ tu definiuisti, tamen te aula relicta sequar: Fac tantum ne deseras me, ne ego deseram te.

DCLXVIII. Quod aulicum est, modo velis tanquam tuum vindicare, onera percute, consume, purga, afflige, destrue, vt seruus purus te obseruem, te sequar omnibus reiectamentis mundi neglectis: Exultantem in omni aduersitate, in omnibus calamitatibus confirma, vt me laudis tuæ holocaustum & organum salutare nominis tui, ac ciuẽ veræ libertatis & æternæ salutis efficias. Fac, Domine, vt nihil sciam nihil cogitem, quam te, quam diuinam gratiã quam mansionem & habitationem, quæ in cœlo est perpetuam. *Da sapere & vitam concludere fine beato.*

DCLXIX. Euanescant mundana.

Omnia morte abeunt, sed sola scientia Christi
Est comes ex vita nos vbi fata vocant.

Hæc meditatio est splendor VERVS vitæ æternæ.

DCLXX. De illo ex gratuita tua bonitate mihi dedisti, nihil vsurpabo, sed solemni renunciatione interposita tibi reddo. Animam diuina prouidentia creatam, morte Christi liberatam tibi offerro, spiritu sancto sanctificatam restituto. Ouem tuam defende, ne eam quisquam rapiat, de manu patris æterni.

DCLXXI.

Cur mortem metuam, mors nil nisi mortis imago est
Nam merito nitor Christe benigne tuo
Vermis adhuc spiro, moriturus forte sub horam
Mors equidem certa est, funeris hora latet.
Ergo nate Dei, tibi me nunc offero totum
Viuam seu moriar, sanguine viuo tuo.

VANITAS VANITARVM ET OMNIA VANITAS.

Schaffe dir welt einen andern Narren.

L. Von Suendi

ADi Hoffleben mit deinem Pracht/
Ich fahr dauon deiner nicht mehr acht.
Das elend welchs das Hertz anficht
Nicht gern man stets fur augen sicht
Eingezogenes leben/kleiner hert
So eigen/gemüth welchs vnverkert
Ist in ehr den aller danck zu Hofe werth
Nimbfür lieb was Gott beschert/
Erwarttet mit frölichem Munde
Wenn kompt die herrliche stunde
Da vff zuwartten dem grossen Herrn
Denn die Welt mit zittern soll ehrn
Bey deme der fromme alleine gilt
Vnd nichts hilfft weder Helm noch Schildt.
Wer den nur hatt in steter acht
Der kan verlachen deß Hoffs Pracht:
Alles was scheint groß in der Welt
Es sey sein Ehr/Gold/Silber/oder Gelt/
Solches für eitel Thorheit heltt:
Ob gleich wollen dir klügsten seyn
So sich können schicken in Hoff possen fein.
Betriegen vnd wer den betrogen:
Narren sprechen/Ich hab gelogen.

VALETE.

Paligenius.:

Degeneres animi procerum, quid quæritis aulas corruptas?

In aulam Hiſpanus Lope de Vega.

Eſteſe el cortoſano
Procurando à ſu guſto
La blanda cama, y el meior ſuſtento
Beſe la ingrata mano
Del poderoſo iniuſto
Formando torres de eſperanza ad viento
Viua y muera ſediento
Por en honroſo oficio
Y gozo yo del ſuelo
At ayre al ſol y al yelo
Ocupado en mi raſtico exercicio
Que mas vale probreza
En paz que en guerra miſera riqueza
Ni temo al ponderoſo
Ni al rico liſoniero
Ni ſoy camaleon del que gouierna
Ni me tiene embidioſo
La ambicion y deſſeo
De agena gloria, ni de fama æterna.

Si quæ eſt impia Aula Vale.

Aula vale ſemper magnis ampliſſima verbis,
Inq; fide ſemper labilis, Aula vale.
Qui te ſectatur ſeruitq; fideliter illum
Spe pulchra, ad tempus, quo tibi proſit, alis:
At poſtquam ingratos quæritur periiſſe labores
Enermem vides emeritumq; fugas.
Nunquam fraude cares, nunquam tibi jurgia deſunt.
Semper ſuſpicio ſemper adeſtq; metus:
Splendida paupertas comes eſt tibi, fictio vultus
Cognita quæ noceat pluribus eſſe tegit.

Mimus, adulator, Leno, Mercator, Apelles,
Cum grege scortorum, te sine fruge colunt.
Ergo VALE: expertus fugio tua limina: viuam
Contentus patriis finibus. Aula vale.

Georgicus Carolida. P.

In malas aulas.

Vitus Winsemius Senior.

Quisquis ad alterius, mutum componere vultum
Nescit, & iniustis auribus apta loqui:
Nunc verum nunc falsa loqui, pro tempore, vt isti
Qui rerum potitur complacuisse videt,
Omnibus, hunc monco longè discedat ab aulis?
Candor & integritas exulat inde procul.
Exulat & dulcis libertas, omnia fastus
Plena, nec est vllus dicere falsa pudor.
Exilio grauior locus est, & tristior in quo
Nec sancto cuiquam, nec licet esse pio.

Aliud

Insipiens aulam quisquis sectatur ob ollam
Concoctu duros continet illa cibos.

Hoff suppen seindt lieblich zu lecken
Werden aber gewürtzet mit schrecken/

P. Melanthon in omnes aulas.

Cur te delectant aulæ Francisce venena
Et capiunt animum non bona vera tuum:
Quid titulos ambis, & falsos quæris honores?
Tincta venato fercula melle potens?
Dii tibi monstrarunt, faciles, bona vera, sed ars est
Hæc nouisse, modo his, legitimoq; frui:
Suauiolum roseis, quod fert tibi casta labellis
Cum pariter coniunx pectus & ora premit.

Omnibus hoc vnum Regnis, ac omnibus aulis
Atq; opibus Regum si sapis anteferes.
Has tibi delicias, tristis male condiet aula
Ingentes curas, quæ sine fine parit.
Omnia Plutonis quæ regia fertur habere.
Supplicia, infelix afferet aula tibi

Aliud

Aula quid est? Est olla scatens feruentibus escis.

Varia Epigrammata, variasque sententias de Aula ex variis congessit, Heinricus Petreus Herdesianus, in libro cui Epigrapha est, *AVLICA vita & opposita huic vita priuata:*

Francofurti ad Mœnum 1578. edito.

MENANDER DE TRIBVS HOMINVM GENERIBVS, QVæ in aulis dominantur verè & eleganter.

HAEC vita gaudet improbis potissimum,
Sed assentator omnium primas tenet:
Viuitq́; longè iucundissimè omnium.
Deinde SYCOPHANTA *proximus est honos.*
Audire enim calumnias dulcè admodum.
At tertius conceditur locus INVIDO.
Artes nocendi qui sciti astutissimè.



INSTRVCTIO AVLICA QVAM TRADIDIT SIMON MAIOLVS DE AVLA ET CAVLA.
fol.716.

INstrue me, Dominæ qui fiam commodus aulæ,
Et placeant mores Aureolane mei:
Illam quandoquidem callere carissimus artem
Diceris: infanti doctus ab vngue puer.
Excute synceram recto cum pectore mentem;
Ingenuumq; tuo, prodeat ore nihil:
Indue seruiles animos, fictoque fauore
Vel minimis famulis, qua potes arte place,
Blandus adulator leuis assentator haberi
Ne pudeat, nullus sit pietatis amor.
Nullis flagitiis, nulloq; offendere fastu,
Indignissima fer, quæq; nefanda proba:
Dissimula, simula, serui bene, sed male fide,
Deniq; nulla bonus vir tibi dona pete.

VALE.

Valedictio aulæ
IOHAN. CHRYSOSTOM. DE BEATO
Philog. Tom 3. fol. 935.

VAleat forum, valeat curia, facessant mundanæ curæ cum pactis & contractibus: Animam meam seruare cupio. Quid lucri fecerit homo, si totum mundum lucri faciens animæ suæ iacturam faciat. Egressi sunt à Perside Magi, egredere à tēporis negotiis ad IESVM proficiscendi, non est longum interuallum, si velimus. Non enim necesse est traiicere mare, neque montium superare cacumina, sed DOMI SEDENS, si pietatem exerceas, multamq; cordis conpunctionem, potes illum videre, potes totam diruere materiem, totum submouere obstaculum, abbreuiare vitæ longitudinem.

ANGELVS POLITIAN. IN
Rustico: pag. 548.

FElix ille animi, Diuisq; simillimus ipsis
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat non fastuosi mala gaudia luxus:
Sed tacitas iubet ire dies est paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ:
Vrbe procul, voti exiguus sortemq; benignus
Ipse suam fouet, ac modico contentus aceruo:
Non spes corde auidus non curam pascit inanem
Securus quo sceptra cadant, cui dira minentur
Astra & sanguinei iubar exitiale cometæ:
Non illum fragilis fauor, indocilisq; potenti
Plebs seruare fidem, euectum popularibus auris
Casuro imponit solio nec ducit hiantem.
Huc illuc vanos ostentans purpura fasces,
Non mentem pauet ipse suam nec conscius omnes

Exhorret strepitus, nec edaci pectore culpa
Carpitur occultè: non oportunus iniqui
Iudicio vulgi, aut celsa conspectus in arce
Degeneri patet inuidiæ: non ipse vicissim
Obliquo liuore macet fœtusq; veneno
Aestuat, atque aliena oculis bona limat acutis, &c.

CHRYSOST. ad Cap. 7, Matth. Homil. 18.

SEparat se homo à mundo non corpore, sed animo, non loco, sed actu: nam quamuis sit in mundo, non videtur esse in mundo, qui non vtitur mundo.

Te animo populis subtrahe atque dura,

Cur famæ præmia quæris?

FINIS.



Discur-

DISCVRSVS DE DE SPECVLI ORIGINE VSV ET ABVSV.

EBERHARTI Von WEYHE, LOCVPLETIOR ET EMENDATIOR EDITVR.

NOBILISSIMO ET MAGNIFICO VIRO, PETRO Von VVEYHE, CANcellario Halberstadensi, fratri ac Compatri dilectissimo: loco speculi transmissi, cum hac inscriptione.

Κάτθανεν οὐκ ἀέκων ὅτι παύσομαι ὧν ἐπι μάρτυς
Πολλῶν ὧνπερ ἴδειν ἄλγιον ἦν θανάτου.

Remittit amoris gratia.

Speculum chartaceum, vel potius specularium.

EBERHART Von WEYHE.

IN MAGNIFICI, NOBILISS. ET PRÆCLARISSIMI VIRI EBERHARDI à WEIHE, ORATORIS Germaniæ disertissimi, Cancellarii Holst. Schaumb. &c. Speculum, Specularium siue Speculatiuum.

Carmen

NOBILISSIMI GENERE, DOCTRINA, VIRTVTE PRAESTANTISSIMI & Magnifici Viri: SWEDER LVTHERS *ab* AMELVNXEN, *Hæreditarij in Amelunxen.*

HVc huc, cui Speculum placet venustum,
Huc huc, qui Speculi requiris ortum,
Huc huc, qui Speculo soles fauere.
Huc huc, qui Speculum repellis, huc huc.
O in te SPECVLVM grauis reposta est
Virtus, à speculo hoc datur se ipsum
Nosse: quid SPECVLA ah docent?
quid? Vnum, hoc
QVod cernis SPECVLORVM id omne vincit
Genus: quid Speculis rependis vnquam?
Quid his, per Specula hæc Deum docent qui
Nosse? quid Specula ò, meretur author?
Aureis Speculis is est nè maior?
Supernis Speculis, is est ne dignus?

Aliud

ALIVD EIVSDEM.

SLAA.

HEVS tu, qui magni satagis præcepta Platonis
Implere, hoc Speculum pellege tutus eris.
Is iubet vt Speculum quivis perlustret, & inde
Instituat vitam: pro ratione benè.
Id Speculum en modico tibi nunc proponitur ære.
Qualis at est author? Maximus, & Speculum.

ALIVD in MOMVM.

VT perit mox ac Speculum intuetur
Omnibus dirus Basiliscus: æquè
Quisquis hoc WEYHI speculum reprendes Mome peribis.

EPIGRAMMA IN SPECVLVM EBERHARDI Von WEYHE.

HAEC tua de Speculis speculatio, magne Eberharde.
Ingenij speculum iudicijq; tui est:
Clarum læue, teres, nitidum subtile politum
Quodq; nihil simulet, dissimuletq; nihil.
In quo cum, vitrum, specula, & specularia tractes
Nil leue, nil vitreum, nil speculare sapis:
Magne vir, ingenii pariter felicis & oti
Quod libet ista tibi scribere, quodq; licet.
Ergone quem in specula tanto posuere Dynastæ,
Quod vacet, in speculo ponere, tempus habes?
An speculæ & speculo temet sic diuidis, vt sis
Per nox ad speculum, per dius ad speculam:

An speculæ speculoq; tuo, sic conuenit vt sit
Pro specula speculum: pro speculo specula?
Nam quid ego præstare putem, tria seria posse,
Hæc tibi si ludus præstitit atq; iocus?
Quidquid sacra refert, quidquid non sacra vetustas
De speculis, speculi lucet in orbe tui.
Hoc speculum Charitas, hoc conflauere lepores.
Quotquot habet latium, Græcia quotquot habet
Hoc speculis Hesperiis, hoc proponatur Eois,
Proderit Eois, proderit Hesperiis
Hoc iuuenem vitiis formæ corrumpere florem
Dedocet: hoc pueris digna patrare senem:
Aulicus hoc speculum, speculum tibi Rhetor habes
Hic quid se deceat dedeceatq; notet.
Sed quam me morum quam nostri pœnitet æui
Vtraq; cum speculo reddita cerno tuo.
Quæ tamen ipsa pari tangis candore fideq;
Inq; tuo speculo, spicula nulla iacis.
Quid, quod, qui facienda doces facis ipse docenda
Et speculi speculo tu magis ipse tuo es:
Ergone tanto nullum pro munere munus
Pignus amicitiæ, sit tibi VVeihe meæ.
Hoc tibi delatum Grudiorum nuper ab oris
Pro speculo, speculum quod speculeris habe
Saluo VERSVRA, nam nostro scilicet ære
Aequandi speculum, specula nulla, tuum est.

Transmissum per
C.W.C.

Epigramma
CLARISSIMI ET PRÆSTANTISSIMI DOMINI GEORGII BERSMANNI.



Edditur effigies cernentis in orbe specilli
Seu proba mendis sit, seu vitiosa, suis,
Clarius est morum Speculum, quod vita remittit
Communis: iubet hanc Comicus ille Senex
Inspectare sui prognatum seminis ortu,
Scilicet exemplum sumat vt indè sibi.
Hoc tibi non Phœbo Nymphaq; coronide natus
Exhibet inuento, Lector amice, suo.
Nocturna sed trita manu, versata diurna
Pagina, præsentis, culta sagaxq;, libri,
Qua disces bene pellecta deciesq; relecta
Noscere te: quo non pulchrius est Speculum.

Anno ætatis 73. 1611. Die 5.
Octobris mortui.

CARMEN LYRICVM DOMINI HERMANNI NEUWALDI EXCELLENTISSIMI PHILOSOPHI.



Acræ sacerdos qui Themidis clues,
Lingua diserta flumine nemini
Cedesq; Cancellarie ample,
Dic mihi cur physicos ad hortos

Tesqua & salebris obsita querqueris?
Te flectis, entheo mentis acumine
Vsum ac abusum splendidorum
Excutiens speculorum & ortum.
Subiuit antehac nullus eam aleam
Isthac Minerua qua catus vteris:
Vtetur aut post, inuoluta
In re adeo, & tenebris sepulta.
Natura nostro corporeo in luto
Formauit vnum næ speculum, quod est
Ocellus, à dextra Iehouæ
Artifici satis expolitus.
Per hunc, fenestram ceu per amabilem
Lucente vitro ac vndiq; perviam,
Imagines rerum repostas
Contra, anima ipsa sagax tuetur.
Lucerna namq; est corporis euidens,
Latè patentes ac animæ fores:
De cordis affectu retruso
Insuper indiciumq; præbet.
Natura petris in specularibus
Molita quiddam tale quoq; est: vti &
In cote Selenite, petris
Inq; alijs nitidis quibusdam.
In his refulget corporibus velut
Et raritatem conspicuam & facem
Spirantibus, dum phœbus ipse
Lustrat ea, atq; facit nitere:
Nostra è tenebris corpora non secus
Retracta, raram & perspicuam induent
Essentiam: absq; fine, Solis
Iustitiæ intuitu & fruentur.

Externa lux hæc namq; homini data est
Internæ vt extet ceu speculum nitens:
Imbutus æuum in omne, dius.
Qua thronus ipse Dei coruscat.

Extra intuetur quin homo machina
Quæ vasta mundi continet, vt Deum
Miretur excelsum architectum,
Laude & cum merita coronet.

Idem vt seipsum conspiceret, cati
Excogitarunt artifices, modum
Vitri liquandi, ex quo politum
Conficitur speculum deinceps.

Apparet hoc in quæ species, statim
Obliuioni traditur, vt suis
In paginis monstrat Iacobus
Veridico ore pijs relictis.

Hortatur ex hoc mysta fidelior,
Audita verbi oracula lubricæ
Ne tradat auræ quisquam, eorum
Desinat esse memor nec vnquam

Quod forma tersis in speculis statim
Obliteratur, causa reflexio est
Obliqua: directæ tenaci
Glutine nam species supersunt.


In lege nobis sic speculum datur
Considerandum gnauiter omnibus:
Notescat illo vtendo vitæ
Conditio huius iniquioris.

In Christo imago ceu speculo piis
Datur tueri rursus amabilis:

Ex huius vt vitæ æuiternæ
Intuitu bona consequantur.
Iurisperiti dant specularia
Sui intuendæ iustitiæ fori:
Integritate à cuius omnes
Præcipites dedit ipse Adamus.
Corruptionis quin dat imaginem
Ars nostra, Vitam quæ fragilem luis
A labe conseruat, medendi,
Quoad fieri potis est, labore.
Nam Conditorem qui renuit nihil
Offendere vsquam luxuriæ suæ
Vitæ, ille post paulo inuidendam
In medici ruit officinam.
Magno occupatur quam speculo, vigil
Quod intuetur Philosophus, sacro
Pol omnium scientiarum
Fonte, recessibus & profundis
Ex hoc priores ambæ vti filiæ
A matre sugunt quam sapida vbera:
Originem primam trahuntq;
Augmen & vberius capessunt.
Ah nunc dolendum est mater ad infimos
Subselliorum quod residet gradus:
Locum occupat valde eminentem
Filia sed supero in theatro.
Quin in vetusto fœdere mentio
Vsusq; torsi fit speculi, sacræ
Ad ædis ornatum, decusq;
Maius ei simitu inferendum.
In hoc refulsit victima multiplex
Mactata ad aras, ceu speculo & typo:

Quam post theatro in orbis agnus
Sustulit exhibitus realis.
Ciuile porro ius meminit quoq;
Locis quibusdam de specularibus:
Quæ Martiali delicato
Nota fuere simul Poetæ.
Quid Pancirollus Italiæ decus
Præceptor olim præcipuus tuus,
O iuris antistes, cuivis,
De speculo ediderit, patescit.
Sed tu Magistrum nominibus supra es
Multis, sacerdos iuris acutior:
Nam nemo telam temet antè
Texuit hanc adeo expolite,
Summam aut deinceps imposuit manum,
Quam tu vigore mentis Olympio:
Spectetur aut natura, multa
Inuolucri retinens abysso:
Considerentur siue volumina
Abstrusa iuris quam varia insuper:
Præ cæteris quorum gulosus
Heluo tu reputaris esse.
Testantur illud scripta in amabilem
Emissa lucem iuridici fori
Politiciq;, quæ leguntur
Vtiliter docili à iuuenta.
Plura ex scatebris si physicæ catis
Doctæ cohorti forte reliqueris,
Dignabimur læti teipsum
Certe & apollinea tiara.
Nam pollicemur de pharetra tua
Maiora nobis, propediem facem

Visura, ni temet forenses
Impedient sine fine lites.
Diuum potestas incolumem diu
Musisq́, nostrisq́, his regionibus
Superstitet te, pax serena vt
Aoniumq́, nemus virescat.



In Speculum

NOBILISSIMI VIRI EBERHARDI DE WEYHE CANCELLARII SCHAUMB. EMINENTISSIMI.

Epigramma.



VC ô huc omnis cœlesti lumine formæ,
Huc decor, huc animi splendor & oris ades:
Diuina Speculum profertur imagine plenum.
Mentis & ingenij nobilioris opus.
Quo nihil artifices, quas instruit Opticus vsus
Vtilius possunt exhibuisse manus.
Viderit hoc, iuuenes qui specla videre monebat,
Sæpius, huc omnes dicet adeste, Sophus.
Hic habitus formare bonos, hic ora potestis
Noscere germano quisq́, colore sua:
Scilicet internos spectare in imagine Vultus
Fulgor & ætherea gratia lucis erit.

Huc ò huc omnis toto ſuper orbe venuſtas,
Huc quicquid pulchri gaudet auxore frui.

HERMANNVS KIRCHNERVS I.V.D.
Poëta Cæſareus, Profeſſor in Acad.
Martiſp. publicus.

ALIVD.


Iramur, SPECLVM lumine Phœbi
Clarius obiectas reddere formas,
Et rerum vultus arte magiſtra,
At SPECVLVM vitæ res mage mira eſt,
Nam morum effigeat conditionem,
Affectusq; hominum prodit & auſus.
Socratici huc SPECVLI ſpectat imago,
Diuinumq; illud γνῶθι σεαυτόν.
Rem totam expoſuit docta Minerua
NOBILIS auctoris, mellifluiq;
Neſtoris & magni Papiniani.
Huius DISCVRSVM, quem dedit orbi,
Lector habe in precio, ſecula chartis
Quod donare ſolent, hoc LIBER omne
Ille tenet, Genium, Nomen, Honorem.

M. HERMANNVS VASTELABVS
El. Prof. in Illuſtri Erneſtina.

DE SPECVLI ORIGINE, VSV ET ABVSV.

1. *Solertia mortalium in origine rerum inquirenda.*

QVAMVIS mortales feruida ac subtili inueniendi celeritate ac assidua sagacitate sub indè ad rerum originem inquirendam prorumpant, non aliter quàm aquæ ex magna scaturigine violento impetu ebullientes, & sæpius acu rem attingant, nonnunquam etiam à veritatis scopo aberrent: tamen tenuiter & modicè, illi, qui de rerum origine, perditis ac repertis locupletissimè scripserunt, num specula ante Græcos in vsu fuerint, vel ab iis reperta sint, quidque hac de re in sacra scriptura proditum sit, tractarunt: adeo, vt quorundam de hoc argumento instituta disputatio ieiuna, mutila, imò inutilis sit.

2. *Maneam indagationem de speculis Doctorum.*

Quamobrem, cum mihi otium inducias dederit & negotia, ad hæc cōsideratio non sit in iucunda, rudi Minerua, παχυλῶς καὶ τύπῳ, crassoque labore, nec longa nec laboriosa demonstratione, quæ ad eruendam & asserendam veritatem conducunt, explicabo: quæ omnia, non tantum plebeis & obtusis ingeniis: verum etiam igneis, præclarissimis & singulari acumine præditis, imprimis bonis viris, quos semper doctis improbis præfero, gratissima fore, mihi polliceor.

3. *Considerationem de speculorum origine non iniucundam, & veritatis gratia susceptam.*

Speculorum originem antiquissimam, vsumque tum abusum frequentissimum, mortales, quibus acetum est in pectore, norunt: Lemnius *lib. 2. cap. 33. de occultis.* Nihil enim antiquis primis parentibus facilius fuit, quam inspectis metallis, aqua, vmbra & similibus, specula conficere.

Quod

Quod verò Plinius *lib.36.cap.26.* & Polydorus Virgilius *lib.2.cap.20.pag.177.* scriptum reliquit: Sydonios specula è vitro excogitasse, & speculum argenteum Praxitelem primum, tempore M. Pompeij, Aesculapium ex plumbo fecisse, Plinius *lib.33.* M. Tullius *lib.2.de natura Deor:* id, vt multa alia, à græcis & latinis iactata, falsissimum esse, ex sacra scriptura probè demonstrari potest. 4. *Originem speculorum falso græcis adscriptam.*

Scriptores enim Græcos gentis vitio multa mentitos, & latinos, græcos sequutos, falsa scripsisse, vel luxuria styli, siue, quò res patriæ essent admirabiliores, siue, quo magis operibus suis lectorem oblectarent tenerentue, peccasse, rectissimè Ludouicus Viues ad *cap.6. libri 4. de ciuitate Dei Augustini,* notauit. 5. *Græcos multa mentitos.*

Iosephus quoque *libr.1.iudai.* aduersus Appionem docet, quod Græci multa à fide Historiæ abhorrentia de Iudæis scripserint, & profanos scriptores in vniuersum fabulosa multa & à veritate aliena de iudaici Populi origine, vita, moribus, & religione excogitasse, obseruauit eruditissimus Brissonius ad *L.Dominic.C.Theod.de spectaculis & l.omnes C. De feriis.*

Et eosdem græcos sacrorum librorum furunculos esse, Clemens Alexandrinus *lib.6.stromatum* testatur *fol.127.* vbi furandi genus ex diuersis temporibus conuincit, tum Euseb. *lib.10.cap.1.De præparation.Euang.fol.132.* 6. *Græcos sacrorum librorũ furunculos esse.*

Non tamen facilè affirmârim, specula, quorum fit mẽtio in *Exodo cap.38.* ex vitro facta fuisse. Nam, forsan non ineptè dixeris, vel ex ære, auro, ex calybe vel ex lapide specula composita (quod gallicus innuit interpres) cuius materia lucida fuit, & instar aeris transparens: similem lapidem veteres fenestris imposuisse, refert ex Plinio *libr.36.cap.22.* Preceptor meus Pancirollus *libr.1.rerum memorabilium iam olim perditarum*, qui tamen leui digito hoc argumentum attigit. 7. *Specula, quorum in Exodo fit mentio, ex vitro non facta.*

8. *Specularia.*

Specularia vocabantur, quibus lumen transmittebatur in ædes, vt hodiè per vitreamina *L. 18. de instruct. vel instru.* & chartacea *L. 9. §. 1. quod vi aut clam.* Mart. li. 8. epigramat.

Hybernis obiecta notis specularia puros
Admittunt soles, & sine face dies.

9. *Locus Martialis à Cuiatio restitutus*

Quem tamen locum ita restituit, vt pro *face*, *sole* legat Cuiatius libr. 13. obseruat. obseruatione 13. Vnde Seneca: *quantæ nunc rusticitatis aliquis damnaret Scipionem, quid non in Caldarium suum latis specularibus diem admiserat.* Brissonius eruditissimus *libro 17. de verborum significat.* Vir præstantissimus Præses Senatus Parisiensis indignissimè in carcere Anno 1590. strangulatus & postea suspensus.

10. *Specularia ex qua materia facta.*

Seneca *epist. 90.* speculariorum vsum perlucente testâ cõmendat. Fiebant vero ex lapide quodam, quem Hispania dabat, qui vitri modo pellucidus in tenues crustas findebatur: Plin. *36. cap. 22. lib. 37. cap. 5.*

11. *Specularia quem præbeãt vsum.*

Hinc Seneca cap. 4. de prouidentia: *Specularia à flatu defendunt.* Et Plinius *lib. 2 epist. 17.* egregium aduersus tempestates receptaculum vocat. *Nam*, inquit, *specularibus at multo magis imminentibus tectis muniuntur.*

12. *Specularia domus partẽ.*

Et specularia, domus esse partem, respõdebat Vlpian. *L. quæsitum: 12. §. si domus, de instruct. fund.* Cuiat. dicto *lib. 13. obseruat. ca. 13.* Alciatus ad *L. 242. num. 34. de verbor. signifi.*

13. *Speculatoria caliga.*

Speculatoria caliga differt multum ab his. Accipiunt enim ea pro calceamentis, quibus speculatores & exploratores vsi sunt; Suetonius: *in Caligula ca. 52.* inquit, Caligulã in speculatoria caliga, tum in crepidis tũ in cothurnis conspectum fuisse: quæ etiam *spiculatoria* siue *caliga* appellãtur: Tertullianus *de corona militum* in principio. D. Marcus speculatores appellat *spiculatores* ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτωρα.

14. *Specula ex vitro in prima ætate nõ facta.*

Turnebus doctissimus & magnus Phœnix Galliæ suæ vt eũ Dousa vocat *lib. 27. aduer. cap. 20 pag. 140.*

Dixi specula antiquitus non ex vitro, sed alia materia

forsan

forsan facta: tempore enim primorum patrum ex vitro non facta, euincitur ex *cap.37.Iobi*, vbi expresse dicitur: cælos esse tãquam *fusum speculum*, vt habet versio germanica & Italica, Licet S. Hieronymus & Osiander ibi verbũ *speculi* deesse scribant, ac vitrum eo tempore in vsu non fuisse docent nos historia: specula fuere.

Neq; hæc quæ diximus euertuntur loco Salomonis ca. 23. prouerb. vers. 31. *Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splendueritin vitro color eius*: Hęc quidem est versio Hieronymi, quam sequitur Lutherus. 15. *Locus Salomonis ca. 23. Prouer.*

Cogimur ab hac versione recedere, & Pagnini, Vatabli & Piscatoris hebraicam veritatem defendentium interpretationi adhærere. Cum etiam græca lectio habeat, τὰ ποτήρια: & ποτήριον poculũ denotare vel calicem, constet inter omnes: facilis quoq; lapsus est in exprimenda vna vocula.

Apud latinos olim sacrarum scripturarum penè tot fuisse exemplaria, quot Codices, conqueritur S. Hieronymus & S. Augustinus *libr. 2. de doctrina Christiana cap. 11.* Isidorus *libr. de ecclesiastic. offic. cap. 12.* Magnam quoque esse dissimilitudinem in nostris & ijs, quibus antiquissimi patres vsi sunt, Bibliis, diligenter illorum libros euoluentes deprehendunt: & obseruauit in Iustini Martyris operibus Ioachimus Perionius *in Tryphone* passim. Itali in prædicto textu Pagnini retinent versionem cap. 23. vers. 31. *Tu non reguardari il vino che sia rosso è che renda, il suo colore nel calice è sitramena beue*: Galli eandem lectionem sequuntur, retinent enim *Hanap*, quod est ποτήριον. Vitrea tamen vasa tempore Labeonis fuisse, & annumerata supellectili elucet ex *l. vasa 11. de supellect. Legata*, & Vitreamina in *l. 18. §. 13. de instruct. & instrum.* Qui Labeo latinarum vocum origines & rationes percalluit Gell. *lib. 13. cap. 10.* 16. *Varia Bibliorum apud Latinos exemplaria.*

Communis est opinio, vitrum primum in vrbe Sydone Phœnitiæ parte Syriæ inventum: tradidit id Plinius *lib. 5.* 17. *Vitrum vbi inuentum.*

 cap 19.

cap. 19. lib. 36. cap. 26. Iosephus *lib. 2. de bello Iudaico cap. 17.* vbi narrat, non tantum arenam in Belo prope sepulchrum
„ Memnonis in vitrum mutari: verum etiam omne metal-
„ lum, imò vitrum ex arena confectum rursus redire in are-
„ nam ejectum, Polydorus Virgilius *lib. 2. cap. 22. de inuentionibus rerum.* Et ex arena vitri puritatem fieri putat Chrysostomus *in cap. 1. Geneseos, homilia 2. folio 8.*

18. *Philippi* M. *opinio, de vitro inuento.* Philippus Melanchton vir incomparabilis in *Explicatione Euangeliorum Dominicalium* (vti loquuntur) *Dominica Reminiscere, parte 2. pag. 97.* prædictis astipulatur: existimans in vicinia Tyri & Sydonis artem fundendi vitra primum inuentam, & quidem hac occasione: Cum ad pellendum frigus aliquando ignis in arena accensus esset, animaduersum fuisse arenam liquidam in massam pellucidam transmutatam, & inde, industriâ artificum artem excultam: an hæc coniectura sit Philippi, vel in aliorum monumentis extet, ignoro.

19. *Mutationem multarum rerum inueniri.* Opinioni Philippi subscribit Mathesius in sua *Sarepta, concione 15.* Hęc transmutatio mira nobis videri non debet, cum in Hercinia sylua locum esse sciamus, in quo aqua guttatim defluens in lapidem vertatur: Et in terra sancta Holsatiæ candela ex sæuo facta lapis fiat.

20. *Vitrum nostro seculo vilescere.* Nostro seculo vitrum viluit, vsque adeo, vt nec plumbi precium æquet: reperiuntur tamen regiones, in quibus tributum constitutum legimus in fenestras vitreas. Naturam si consideraueris astutiamque & ingeniosam in hac temperanda solertiam, argenti metalla cedunt vitro, atque pro eo vilescunt:

21. *Varia artificiose ex vitro fieri.* Cassellis artifices (quos Illustrissimus Princeps MARITIVS, inter doctissimos potentissimus, inter potentissimos doctissimus, æternâ laude dignissimus, in omni scientiarum genere, amat, eligit, vocat, vocatos audit, ornat) qui ex vitro varia etiam supellectilia in mille formas, adhibitis tamen manibus ac instrumentis, flatu

mutarunt. Leander quoque recenset varia ex vitro facta, in *descriptione Muranæ cap. 68.*

Ferunt à Tiberio Principe excogitatum temperamentum vitri, vt flexibile esset. Scribit enim Dio in *vita Tiberij* mihi *pag. 614. lib. 57.* Artificem, cuius nomen ignotum, vitreum poculum consulto abiecisse, fractumque manibus rursus refecisse: verum Tiberius tantum artificem, turpe dictu est, interfecit, nec artem diuulgari voluit. Quis tantum Imperatorem, nisi forsan ebrietas, & vt plura frangeret vitra, dementauit? fascinauit? & in tantos barbariei laqueos induxit? monstrum naturæ ex simulandi & dissimulandi arte natum & conflatum: quid, quæso, boni in Republica gessit? Piscatori, vt infinita tyrannica silentio hic inuoluamus, qui sibi secretum agenti grandem mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem pisce faciem iussit.

22. Vitrum flexibile.

23. Biberii facinus & dementia.

Sub Nerone omnium vitiorum principe, duo calices HS millibus sex venierunt: sed officinæ dicuntur abolitæ, ne reliquæ opes sordescerent, Pontano & Zvingero referente.

24. Opes præferri arti.

Qui vero hanc artem reuocare in vsum conantur: quāuis id variè tentent: tamen ars erubescit, effectu & successu deficiente: asserunt quidem vt hoc ex arcanis vitriarij ingeniosissimi emittamus. Si sanguis hirci & cineres vitri æquis portionibus mittantur in acetum, deinde chymico organo distillentur, & in exceptam aquam vitrum maceretur, plicatile, cereum ac ductile fieri. Sed euentus respōdit, hunc articulum artis chymicæ esse vanum: & ferè totam chimiam esse artem sine arte, partem sine parte, cuius initium est mentiri, medium fallere, finem mendicare.

Hodie auri argentique metalla ex cœnaculis Regum pepulit vitrum, sed non ex corde sitim, famem, ingluuiē

Mos Vtopiæ. & corruptionem. Aliterquoque sentiebant in Vtopia scilicet, ibi enim ex auro & argento non in communibus aulis modo: sed in priuatis etiam domibus matellas ac sordidissima quæq; vasa conficiebant: ex fictilibus è terra vitroque edebant bibebantque Morus *lib. 2. Vtopiæ, pag. 175.*

Inde etiam noui orbis Historici scribunt, Attabalibam omnium rerum Hispanicarum nullam libentius inspexisse, quam vitrum, dixisseque Pizarro, qui misere Attabalibam interfecit, se plurimum mirari, quod cum in Castella, rei tam pulchræ copiam haberent, peruestigandis metallis adeò vilibus, auro & argento peregrinas terras & maria obeundo semetipsos fatigarent. Vel idcircò vitrum præ alijs amandum, quod humanæ vitæ fragilitatem denotet, F. VVidebran: Ipsum etiam nostræ carnis imago vitrum.

Vt facili teritur lapsu vel verbere vitrum,
Sic magis est fragili vitrea vita vitro.

26. *Vitreum opus præstantissimum.* Credo nullum vitreum opus præstantius & præclarius extitisse, quàm quod fecisse scribitur Archimedes: in quo scilicet, Lunæ, Solis, quinque errãtium motus in sphæram allegauit, & sphæram vitream fuisse Claudianus testatur his versibus, in epigramm. pag. 360.

27. *Claudiani elegans epigramma.*

Iuppiter in parua cum cerneret æthera vitro,
Risit. & ad superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor:
Iura poli rerumq; fidem legemq; virorum,
Ecce, Syracusius transtulit arte senex:
Inclusus variis famulatur spiritus astris
Et viuum certis motibus vrget opus:
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mense redit.

Iamq; suum voluens audax industria mundum
Gaudet, & humana sydera mente regit.
Quid falso insontem tonitru Salmonea miror
Aemula naturæ parua reperta manus.

Statum horum artificum exaltandum esse propter vtilitatem quam adferunt Reipub. communiter crediderũt; & secundum communem opinionem pro nobilibus in Gallijs haberi vitriarios vt loquitur Lampridius in *Alexan.* vel vitrarios, vt appellat illos Imperator *in l. 2. C. Theodo. de excusat. artif.* testatur Cassanæus *part. 11. Catalogi gloriæ mundi fol. 445.* 28. *Vitrarios apud Gallos nobiles esse.*

Cui tamen opinioni in Germania non subscribunt: q̃uis Alexander Apellẽ pictorem inter nobiles, & Polycletum sculptorẽ inter ciues locari iusserit: tum propter auctoritatem maiorem, tum æquitatem, rerum, tum libertatem naturæ, tum paucitatem nobilium, tum calamitatem Reip. & dignitatem virtutis: Loquimur tamen non de omnibus, sed excellentissimis. 29. *Apellem inter nobiles receptum.*

Hoc concesserim vlrro: Vitrum in oriente inuentum, & omnia sacra, imperia, artes, arma, machinarum genera, tum metallorum ab oriente in occasum & reliquum orbem defluxisse: Lipsius *lib. 1. polit. cap. 3.* Mathesius in *Sarepta, conc. 2.* Petrus Albinus in *commentario de Misnensibus metallicis, tit. 6. fol. 51.* 30. *Plerasque res in oriente repertas.*

Relinquitur itaque omnibus regionibus non simul ac vno tempore Deum ad vitam hanc traducendam necessaria contulisse.

Vitrarios primum in Angliam tempore Bedæ venisse anno Christi 734. scribit Camdenus *de Britannia pag. 605.* Vitrum quoque minus purum inueniri in Anglia & minus translucidum fatetur Camdenus *pag. 227.* mundum vitrum optimum, sicut aurum mundum *Apocalypsis cap. 21.* Aurũ non est vitrum, sed perspicuitate debet referre vitrũ 31. *Vitrum in Anglia quãdo repertum.* 32. *Vitrum & aurum purũ.*

purissi-

purissimum: vndè Diuus Iohannes vitrum ad puritatem fidei retulit: quia, quod foris videtur, hoc est intus, & nihil est simulatum, sed totum perspicuum in sanctis Ecclesiæ, Augustinus *homilia 18. in Apocalypsin fol. 692. tomo 9.* Docet enim S. Iohannes, in cœlis omnia pura, nullam affectionē, corruptelam, nullam molestiam, omnia clara, & DEVM de facie ad faciem videri: sic fides etiam Ethnicis perlucidior vitro dicitur Horat. *lib. 1. Ode. 18.*

33. *Fidem vitro comparari.*

Hoc tantū volo & assero, specula tempore primæ ætatis & Moysis etiamsi non vitrea in populo Dei Iudaico & postea in vsu fuisse, qualiacunque fuerint, vel ex ære, vel auro, vel ferro, vel chalybe, vel aliâ materiâ, *Exodi cap. 38.* Et figmenta grecorum non approbanda Orestis somniū narrantium, ægri somnia, ac vitrea fracta, quod dicitur, vendentium: ne incidamus in errorem grauissimum, vetustiorem esse Rempublicam græcorum Iudaicâ. Verum enim non censemus, quod græci sibi tribui voluerunt, se omnium hominum parentes & primos literarum & artiū inuentores: quod vt facilius obtinerent omnium Gentiū Historias corruperunt, & antiquissima quæque abolere conati sunt.

34 *Græcorum mendacium explodendū de speculis.*

Nam Esaias inter ornamenta mulierum expresse recenset specula *cap. 3.* quod & Tiraquellus obseruauit in *tertia lege connubiali, gloss. 1. part. 3. num. 27.* vbi omnia ornamenta mulierum recenset, *litera S. fo. 69.* vnde etiam hodie specula ad vtensilia mulierum vel geradam, vt loquuntur, pertinent; non ad bona hæreditaria: Licet & nostro tempore, proh dolor, sunt pretiosissima: quamuis Scipionis filiæ nitidum speculum, ex auro non habuerint, & tamen virgunculis libertinorum dos filiabus Scipionis constituta non suffecerit in specula: adeò indiscreta sunt perversissimis artibus, vt quicquid mundus muliebris vocatur, SARCINÆ viriles sint, Senec. *lib. 1. natural. quæst. cap. vlt.*

35. *Esaiam speculorum facere mentionem.*

36. *Specula ad geradam pertinere.*

37. *Specula olim & nostra ætate preciosissima.*

38. *Mundum muliebrem Sarcinas viriles.*

Insuper

insuper nostra sententia probatur *sapientiæ 7. Salomonis*, vbi sapientiam nominat speculum sine macula Maiestatis Dei.

In nouo testamento Paulus *1. Corinth. 13.* ait nos in his terris Christum Deum per speculum in ænigmate videre D. Iacobus similiter comparat nudum & merum verbi Dei auditorem viro intuēti faciem suam, seu consideranti vultum natiuitatis suæ , in speculo *cap. 1.* Bella similitudo: Quæ in speculo videmus minus hærent, quam quæ verè intuemur: vndè sequitur, facies nostras minus nobis notas q̃ alienas. Sic aliorū vitia acutè videmus, nostra negligimus vel dissimulamus. Specula itaque fuerunt ante græcos & græcorum imperium.

39. In variis locis S. scripturæ mentionē fieri speculorum.

40. Facies nostras minus nobis notas.

Hoc amplius dubium non est, quæ de ornatu speculorum Dijs apud gentes exhibita in prophanis leguntur, ex *Exod. c. 38.* desumpta. Specula enim mulieribus, q̃ ieiunijs & orationibus vacabant, ad ostium tabernaculi posita erant, vt verissima habet versio Piscatoris germanica, à qua græca κατόπτρον pro speculo retinens, non dissentit , & Italica ibi, *degli spechij de le donne.* Ioachimus à Beust antecessor & collega meus huic versioni adhæret in *explicatione Euangeliorū Domin. Sexagesimæ.*

41. Gentes mutuo sumpsisse quæ de ornatu speculorum, tradiderunt.

Quanquam alii omiserint ista verba: Osiander superflua censuerit, Rasa tamē, referente Lyrâ, textum verum dicit, nec recedit Pagninus. Et cur non? cum improbum sit, diuinum in chyrographum inuolare, ac in sacrorum adyta , tū venerāda mysteriornm penetralia irruere ac pro libitu addere vel demere: temeritas est, ne dicam impietas, etiam in minutissimis mutare quenquam priuatum suo arbitrio aliquid *2. Pet. 1.* Criticis hoc concessum , Theologis nō etiam.

42. Non inuolandum in diuinum Chyrographum.

Addit Italicus interpres, quod mulieres Israeliticæ singulis matutinis faciē & crines ornârint, verū neglecta mundi vanitate, sponte tabernaculo dicarint specula quorum

43. Veterum & neotericorum cap. 38. Exo. explicatio.

columnæ erant æneæ, & de illis, affirmante Lyra, factum est vas prædictum: & idem antiquos interpretes obseruasse nec sicco pede transiisse, legimus, Iosephus enim *lib.3.antiquitat.ca.4.fol.30.* Laudat mulierum liberalitatem in exornandis ijs quæ ad cultum diuinum pertinebant:

44. *Tostati opera in Biblia.* Ex neotericis repetit Alphonsus Tostatus Hispanus, locupletissimus bibliorum interpres, Episcopus Abulensis cuius opera Venetijs anno 1596. apud Iohannem Baptistam sunt impressa. Non me fugit, alias interpretationes & allegorias ab interpretibus adduci, quas iam silentio prætereo & lectores ad Lyram, qui primus quasi glaciem scidit in enarrandis Sacræ scripturæ locis, & Tostatum remitto. Fuere posita in templo specula: patet hic postea Arcades in templo Herę, id est, Cereris, prope Magapolim speculum parieti inclusum habuisse, in quo Deorum signa & solium ipsum dilucidè cernebatur, at homines minimè, Pausanias *in Arcadiis* refert. Et Deabus fœminis specula tenebantur, quasi ad inspiciendum explorandumque satisne cultæ essent, Augustinus *de ciuit. Dei lib.6. ca.9.* Apulejus, *11. de asin. aur.*

45. *Simia Iudæorum gentes.*

46. *Speculum Dianæ.* Quæ vero de speculo Dianæ in bonis authoribus leguntur, per ea non intelligimus speculum vitreum vel ex alia materia factum, sed locum quem Diana inhabitauit, propter amœnitatem ac pulchritudinem, Leander in *descript. Romæ, pag.155.* ex Seruio glossatore Virgilij:

Audiit & Treuiæ longè lacus audiit amnis.

Vnde etiam nemora Luci Dianæ consecrabantur, Horat.

Et dum Lucus & ara Dianæ.

Martialis lib. 11. epigramm. 19. *in quo ruta facit nemus Dianæ*; & Dianam Lemnæam vocat Strabo *lib. 8.*

47. *Crescunt paulatim artes.* Tractu temporis, speculæ in auro fuisse indita Plinius

lib.33.

lib.33. ſcribit: quinetiam ſpecula iſta figurabantur ex ſculptis intus crebris ſeu ſpeculis, vt vel vno intuente, populus totidem imaginum fuit.

Vt ad ſpecula noſtra progrediamur, inter multa imo infinita, quæ rerum referunt imagines, veluti aqua, æs politũ gemmæ nonnullæ, aurum, gladij, marmoreæ formæ, nihil æquè perſpicuè reddit ſimulachra, ac vitrũ plumbo ſublitum. Nam, vt ea de re diſſerunt Philoſophi, quos ego viderim, imprimis Alexander Aphrodiſæus in *Phyſicis dubitationibus* conuerſis ab Angelo Politiano politiſſimo: & Leo Nollanus, quem quoq; Eraſmus & Manutius in prouerbijs allegat, vitrũ quidẽ vt rarũ & pellucidũ maximè capax eſt imaginum; verum formatas acceptaſq; nõ perindè retinet, ob pellucentiam: proinde plumbo ſublitũ ob nigrorẽ aliquem naturæq; denſitatem ſiſtit quaſi imaginẽ impreſſam neq; ex aduerſo poſitam dilabi ſinit. Plumbi etiam natura cum vitro ſplẽdido permixta multo magis lucet, ſuoſq; radios per vitri meatus tranſmittit, duplicatq; quod in ſuperficie atq; extra vitri corpus eſt. Vitri itaq; ſplendentis cauſa eſt, album plumbũ & nitor: quam diu hæret in ſpeculo plũbum, quam diu non remouetur oppoſitum, res tam diu nõ remota permanet: ſic oleum lucis pabulum & doctrina atq; opus ſpirituale cœleſtis nobis gloriæ cauſa eſt, Hilarius ad *Pſal.140.fol.117.*

48. *Vitrum plumbo ſublitum.*

49. *Speculi deſcriptio.*

Licet enim conceſſerim, formam ſpeculi luminoſam, habere aliquod eſſe, non tamen corpus rectè dici, aſſerit Vincent. *lib.2.cap.72.in ſpeculo.*

Sed triuialiter literatos hic ſubmouendos dicent Philoſophi: interim tamen negandum non eſt, viſionem imaginis in ſpeculo fieri per repercuſſionem.

50. *Viſio imaginis in ſpeculo qua ratione fiat.*

Nam imago à facie noſtra delata ad ſpeculum ſolidum & lene, ab eodem ad oculos noſtros repercutitur, Zabarella in *lib.2.poſt.analyt.c.13.fol.236.*

Qualitas quippe aſpectus ad ſplendida corpora migrans. ex reflexione, rurſus per oculorum radios ad ſui ipſius ſpectaculum remigrat: migrare verò qualitates à facie, non eſſe abſurdum opinatur Alexander: iuxta arbores, manentes viridi aſpectu eſſe conſueuerunt; viridis enim qualitas viridium foliorum ad ipſam faciem demigrat.

Euaneſcunt vero ſimulachra, non aliter atque candelæ lumen in Sole, quoties excipiuntur in corpore nimium tenui perſpicuoque veluti in aere, in vmbra. purâ aquâ, Chriſtallo, vitroque, non obſcurato corporis alicuius obiectu & appoſitu. Rurſus in nimium denſis & obſcuris non firmiter & expreſſe hærent, veluti in ſilice lignoue, non tamen omni: etenim nihil opponi poteſt, quod ſplendorem augeat & retineat formam receptam: Inſuper inficias ire non poſſumus, formam in ſpeculo motu aſpicientis, motu ſpeculi & motu aeris intermedii concipi.

51. *Oculum ad ſpeculorum imaginem factum.*

Quamobrem natura ſolertiſſima, ac rerum omnium artificioſiſſima architectrix, oculum animantum ad ſpeculorum imaginem finxiſſe videtur, quippe parti pellucenti nigrorem quendam adiunxit à tergo, quo remoto, remouetur videndi facultas: eſt enim oculos nihil aliud, quã videndi inſtrumentum, Petro Apponenſi deſcribente, complexione aqueum cum quadam anteriore planitie rotundum in ſuprema anteriore capitis parte locatum, ex ſeptem tunicis & tribus humidis conſtitutum, ſex muſculis motum, & vno vel duobus ſeu tribus fultum: in quibus vero videndi conſiſtat vis, hic non attingo, ſed lectorem ad philoſophorum opiniones remitto, qui diſputant, an in humore chryſtallino, an in tunica retina, an in aranea, an in humore vitreo, an in neruorum opticorum coniunctione, ponenda ſit.

52. *Oculum eſſe naturæ ſpeculum.*

Vndè veteros ſcitè & lepidè dixerunt: vt ſpeculum oculus eſt artis, ita oculum eſſe naturæ ſpeculum, & tale quidẽ,

in quo notare possis, hominis, cuius est oculus, probitatem, ingenuitatem peruersitatem, versutiam, simplicitatem, superbiam, humanitatem & omnes ferè motus cordis & mentis: vt & viuum speculum animi appellatur.

Negare non possumus, oculorum sensum omnium esse acerrimum & præstantissimum, & cœteris sensibus excellentiorem, Augustinus epist. 3. volum. 2. fol. 9. 53. *Oculorum sensum acerrimum.*

Vnde Poeta:

Segnius irritant animum dimissa per aures,
Quam quæ sunt oculis commissa fidelibus.

Bernardus *de natur. & dignitate amoris Dei cap. 6. fol. 1587.* quodam tamen respectu κατὰ συμβεβηκός, vt Aristoteles loquitur; potiorem tamen auditum, quò ad animi intelligentiã, ex Isocratis sententia: & ad res mente cognoscendas, infinitis modis instrumentum vtilius esse asserit Beza in *2. part. quæst. pag. 5.* Cæcos tamen doctiores surdis, experientia testatur, & eruditè probat Camerius in *problematibus, pag. 113.* Est quidem hominis corpus emblema animi, Farnesius *li. 1. de simulach. Reipub. c. 8.* 54. *Auditum quo ad animi intelligẽtiam potiore.*

Sed imprimis facies, omnium intentionum est speculum, Tertullianus *lib. de resurrect. carn. fol. 45.* speculum mẽtis est facies, & taciti oculi cordis fatentur arcana: S. Hieronymus eleganter *epist. ad Furian. de viduitate seruanda, fol. 25. tom. 5.* est oculus animæ mens Augustinus *1. soliloq. tom. 1.* de cognitione Dei & animæ & cordis, *epist. 111.* Augustinus & pro sensu mentis in sacra scriptura & bonis authoribus accipitur, *Exod. 21.* Chrysostomus *3. cap. genes. homil. 26.* Et idcirco oculi ad cognoscẽdum inter sensus sunt principes, Augustinus *lib. 10. confess. cap. 35.* & oculi Mineruæ adscribũtur, & inde oculos, intentionem vocat scriptura: Augustinus *lib. vnic. de opere Monach. tom. 3.* quamobrem in corporis fastigio locati sunt: Augustinus *lib. 2. de liber. arbitr. tom. 1.* 55. *Facies speculum & oculi cordis & mẽtis sensus.*

56. *Quare oculi in fastigio corporis sint positi.*

Et in digniore loco corporis sedem habent: Bernhardus *de natur. & dignit. diuini amoris folio 1578.* Ambrosius in libro de Noe & arca cap. 7. fol. 146. tom. 4. *Vnde & mens illic locata* (Salomon Ecclesiastic. 2. *oculi sapientis in capite eius*) *quasi in aula imperiali virtutum consilium sibi contrahit, quo stipata comitatu, & ipsa munitior sit, & tanquam ex edito quodam tuendi totius corporis regnum imperitat, responsa proferre, per quem possimus nos ipsos non solum retrospicere, nel solum quod ante pedes est videre. sed etiam cœli ipsius decreta profundo obtutu sapientiæ spectare.*

Ibi igitur summa nostræ salutis, ibi gratia, inde custodia, inde pulchritudo corpori toti adquiritur, quæ primum in vultu vernat.

Decet enim esse præstantiorem aulæ regalis nitorem, in qua, sicuti vsus maior, ita splendor est. Namque si spectes singula, quæ in hominis forma ad vsum aliquem composita videntur, vt visus ad videndum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, os ad loquendum, ita vsus ministrant, vt præstent decorum.

57. *Sol & luna oculi mundi.*

Tristes sine sole dies ducimus, noctes sine luna non placent: ipsi enim sunt quidam mundi oculi. Detrahe stellarum lumina, & quædam est in cœlo ipso cæcitatis deformitas. Pili ipsi qui orbem oculorum prætexunt & velant, quandam aciem prætendunt, ne sorde aliqua vel pulueris caligine pupilla lædantur: & ipsi excipiunt, si quid fuerit illatum, quod oculum possit lædere: si lippitudine intercidant, dedecet. si palpebra contractior fuerit, si radantur supercilia, quæ preciosorum monilium specie, veluti intertexta gemmis refulgent: Huc vsque Ambrosius: cuius verbis cum elegantiæ nihil adiici queat, ea transcribere volui.

Et dilucidus adhuc situm oculorum, orbium, pupillarum, idem Ambrosius describit *lib. 6. Hexameron cap. 9 fol. 85. tomo 4.*

Et Lactantius *lib. de ira cap. 10. pag. 508.* vt oculi munitiores essent ab iniuria, ciliorũ tegminibus occuluit: vnde oculos dictos esse Varroni placuit.

Sunt itaque oculi duces corporis, vas lucis, indices animi, proditores affectuum, fenestræ mentis, Augustinus *ad Psalmum 44.* Chrysosto. *homil. 1. in Psalm. 50. tom. 1. fol. 917. ex* cap. Hieremiæ 9. *Mors intrauit per fenestras nostras*, vbi piè & eleganter inquit Chrysostomus: *Domine, pone seras supra fenestras nostras*: & Epiphan. *lib. 1. contra Hæreses tom. 1. ca. 9. fol. 18.* Indè Hiob ca. 31. *posui testamentum oculis meis, vt non sentirem in virginem*: vel pepegi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.

58. *Oculi duces corporis, indices animi, proditores affectuum.*

59. *Oculi fenestra mentis.*

Lumen oculorum esse nostrarum mentium fenestras quodammodo repetit Saluianus Massiliensis *lib. 3. de gubernatione Dei fol. 79.* & ante scriptura dixerat Matt. 6. *Lucernã corporis* esse oculum, quod egregiè explicat Clemens Alexandrinus *lib. 3. pædagog. c. 11. fol. 52.*

Tribuimus hanc vim oculis abusiuè: scimus enim in corpore sensum esse nullum, sed vias horum, teste Cicerone, à sede animi ad oculos, ad nares, ad aures perforatas, animumque videre & audire, non eas partes, quæ quasi fenestræ sunt animi: & hinc Plato voluit, verius dici, si quis dicat, se instructum oculis cernere, quam ipsis oculis: & Epicharmus inquit: *mens videt, mens audit, ipsa surda cæcaque reliqua sunt.*

60. *Animum videre, non oculos.*

Huius etiam speculi insignes sunt vtilitates, Vsvs et Abvsvs: oculi enim primum ad videndum sunt nati: qui enim cum Epicuro ad videndũ creatos negat oculos, quoniam prius sint nati, quam esset vsus videndi, inepti sunt, & mihi contra ipsos non est disputandum, quorũ portenta & ridicula refutare ineptum censet Lactantius *libro de ira Dei cap. 6. pag. 507.* & *libro de vero cultu 6. cap. 23. pag. 371.* inquit: *dedit nobis oculos DEVS, non vt spectemus,* volun-

61. *Oculorum vsus & abusus.*

62. *Epicuros ineptos.*

63. *In quem vsũ oculi sint creati.*

voluptatemque capiamus: sed vt videamus, propter eos actus qui pertinent ad vitæ necessitatem & ad Dei gloriam. Et de oculi virtute & officio Leonhartus Vairus *lib. 1. de fascino cap. 1.* latè disserit: S. Ambrosius *Psalm. 118 sermone 16. fol. 714.*

64. *Quod videtur ne dissonet ab eo qui videt.*

In vniuersum operam demus quotquot sumus boni, ne quod videtur, dissonet ab eo, qui videt: Asuescamus oculos nostros videre quæ dilucida & clara sunt, spectare vultum continentiæ & temperantiæ omnesque virtutes, in quibus nihil scrabrum, nihil obscurum & tortuosum sit: & se ipsum spectet quis, & conscientiam suam, illum oculum mundet, ne quid sordidum habeat: eo pacto intelliget, quantum in nobis ignorantiæ, vanitatis, prauitatis, infirmitatis, inopiæ, malitiæ, corruptionis hæreat: & operam det, vt speculo purgato, simul omnẽ defectum corrigat, & non alibi summum bonum, perfectã fœlicitatem, solidam virtutem, tranquillitatem animi, iustitię præstantiam, quam in Deo sitam & quęrendam esse: vt laudis & gloriæ cupidi infirmitatis nostræ speculum inspicientes, imbecillitate nostra quasi popysmo, tanquam pulli generosi excitemur.

65. *Propriam non aliorum faciem inspiciendam.*

Qui enim propriâ neglectâ facie, aliorum maculatas inspicit, idem agit, quod illi, qui dimensionibus terrarum student, & se ipsos nesciunt metiri.

Inuocemus Deum, vt hoc speculum tanquam pupillam oculi custodiat, & tutissimo vallo munire dignetur, quia puritas, leui sorde aspersa, violatur & gratiæ fulgorem amittit: Ideoque vti piè Ambrosius alio in loco monet, prospiciendum est, ne quis illud puluere erroris oblinat aut vllâ vexet festucâ peccati.

Si tamen amiserimus oculos carnis, non supra modum hanc calamitatem deplorandam sciamus, modo retinuerimus oculos mentis: Magnus Antonius, vt Palladius refert, cum Dydimum oculis captum inuisisset, eumque de

rebus

rebus diuinis non sine magna admiratione differentem audiuisset, & ex eo quæsiuisset, num cæcitatem moleste ferret, isque tacendo magis quam loquendo animi perturbationem indicasset: *Cur*, ait Antonius, *grauiter fers, quod oculis ijs cares quos formicæ habent, cum eos tamen habeas, qui tibi cum Angelis communes sunt:* videamus itaque vt oculos habeamus, quibus lucra & damna æterna, non mundi conspiciamus.

Est enim oculus carnis & mentis: Origen. *homil.16. ad c. 2. Luc. part. 2. fol. 260.* Et oculis animæ non secus vti & abuti possumus ac corporis: Origenes in *epist. ad Roman. 11. libr. 8. part. 2. fol. 484.* 66. *Oculis carnis & mentis.*

Oculos carnis mel appetens, vt est in prouerbio, quem etiam sinistrum theologi vocant, respicit tantum terrenas & temporales vanitates, opes, potentiam, genus, formam, honores, diuitias, mores, scientias, machinationes, fraudes, versutiam, calliditatem, simulationes: supra enim monui, animæ fenestram: imò portam oculos esse, per quam omnia patent per quam omnium species ac formæ ingrediuntur ad animam, *genes. cap. 6.* diluuii causa libido, libidinis oculorum custodia mala, vt & lapsus Dauidis, *1. Reg. 11.* Oculi hominum insatiabiles sunt *Eccles. 31.* 68. *Oculos animæ esse fenestram & portam.*

Omnes namque improbas cupiditates in cor, per oculos quasi per naturales cuniculos introire, inquit Saluianus Massiliensis *lib. 3. de gubernat. Dei pag. 79.*

Quamdiu talis tibi est oculus Deum non videbis, sed quando fueris talis, vt nihil te prorsus terrenorum delectet, mihi crede eodem momento, eodem puncto temporis videbis quod cupis, August. *lib. 1. solil.*

Oculus vero dexter spiritus contemplatur spiritualia æterna & diuina: oculus quo videmus Christum, sicut ipse dicit ad sponsam, *Cantic. 4.* Corde nos cœpisti ab vno oculorum tuorum Origenes *homil. 2. in Cant. cantic. mihi fol. 26.* 69. *Oculus dexter.*

par.2. Per speculum immutabili operationis diuinæ Paulus & Petrus eisque similes Deum vident Origenes *hom..3. in comm. Euang. Iohannis fol. 162.*

Videmus enim Deum etiam sine corpore Aug *epist 111. & 112. vo lum. 2. fol. 518. 519. 520.* Tali oculo videbat Paulus æterna, vbi cœpit corporalia non videre. Deniq; ille, Actorũ 9. qui Christum non videbat prius quam oculos amitteret, vidit eum, posteaquam amisit visum oculorum: vidit enim qui dixit: QVIS ES DOMIME? videbat utique Christũ, quem etiam Dominũ fatebatur: Domine, inquit, quid me vis facere? Non ergo videbat eum, cuius expectabat imperium: quibus igitur oculis videre Paulus plus cœpit, nisi ijs, quos nobis ipse monstrauit, dicens? Orabo spiritu, orabo & mente. Sic omnes Christiani oculis tãtum mentis Christũ vident, Iudæi tantum oculis carnis, Apostoli vtrisque. Sic beati mundo corde Deum videbunt oculis cordis, id est cum virtute intelligentiæ: Deum enim videre est eum mente intelligere ac cognoscere Origenes *de principiis ca. 1. lib. 1. fol. 754.*

70. *Christus quomodo & quibus oculis videatur.*

Vtrumque vero oculum, quem interiorem & exteriorẽ vocare possumus, tria ad videndum impediunt, hunc tenebræ, humor concretus, puluis iniectus: ijsdem ille impeditur tenebris, hoc est, peccatis, quę confluunt in memoriã quasi in quandam sentinam, & est tanquam humor cõcretus, & cura terrenorũ actuum quasi puluere iniecto, S. Bernhardus *sermon. 5. de assumptione Mariæ. fol. 51.*

71. *Oculus quo pacto impediatur ad videndum.*

Orandum itaque est, vt quemadmodum Deus animalibus, quorum Ezechiel *ca. 1.* mentionem facit, & *Apocal. 4.* oculos sine numero assignauit, hoc est vigilantiam & prospicientiã, vt antè & retrò plena esse dicãtur: sic & nos speculis oculorũ infinitis ornati simus, ne Diabolus sinistro vel carnis oculo seruato, dextrum oculum mentis effodiat, & fœdus contrahat cum suis subditis, sicut Naas

Ammo-

Ammonitarum Rex cum habitatoribus Iabes Galaad *1. Regum 11.*

Cum enim speculum varijs modis & artibus frangere tentet hostis antiquus, nos quoq; mille oculos habeamus oportet, quibus tot eius fraudes & insidias deprehendere ex speculo & in speculo possimus. Probè intellexerunt hoc Ægyptii Hieroglyphici, oculo sapientiam & intellectum denotantes. *73. Oculum sapientiam denotare.*

Tractant Physici, & credit volgus, neque repugnat experiẽtia, morti vicinos, pupillas & imagines, quas in oculis non tã promiscuè omnium hominum neq; sagarum videmus ante triduum mortis non habere: Seruius apud Virgilium:

Ibi:

Dat somnos adimitque & lumina morte resignat.

Dicuntur enim pupillæ & per cõsequens imagines morte appropinquante albescere: Capitolinus in Pertinace: *Signa interitus hæc fuerunt: Ea die qua occisus est, negabant in oculis eius pupillas cum imaginibus, quas oculi reddunt, spectantibus visas.*

Sic vitiis vicini imo immersi amittunt pupillam oculi & oculos ipsos, quibus spiritualem illam lucem aspicere, & æterna intueri debebant. Hæc, quando in oculorũ mentionẽ incidimus, licet πάρεργα nostra ἰδῶν ἔργων πλείω futura clamabunt, præterire silẽtio non potui.

Singulare Florentinorum speculum quoque in publicũ est proferendum: illi. n. decoctores ac turpi iudicio conuictos, eiq; cui Reipub. iustè debitã pecuniã ex magistratus pscripto ad diem non soluissent, inter ærarios referebãt, sic ius ferendi suffragii Ciuitatisq; amitterent: I. autem cui ea mulcta erat irrogata adigi ad SPECVLVM dicebatur: Quod in ea nota tãquam in SPECVLO & censũ & fortunas

Ciuium licebat intueri Brutus *lib.1.Historiæ Florent.* & multas alias LL. propter potentes constituerunt: Nihil enim vtile esse in Repub. putabant: quod est contra dignitatem.

Orandum est, vt Deus etiam oculum carnis, quoad necessariam rerum visionem, conseruet, cum eius vis in omnibus non sit æqualis: languidior est illa in iunioribus quãdoque ac senibus: Scribit Epiphanius *lib.2.tom.2 contra hæreses fol.315.* Hieracam quendam supra nonaginta annos vsque ad diem quâ mortuus est, pulchre scripsisse & oculos illæsos habuisse.

74. Hiracæ visus ad extremam ætatẽ illæsus.

75. Num visus vel auditus præstantior.

Vt tandem concludamus, fatemur in rebus humanis fere oculorum vsum auditui præferendum, vnde prouerbia nata, Oculatæ manus, quæ promissa volunt exhiberi re, non verbis: Oculata dies, qua numeratur præsens pecunia: Oculatus testis, & auritus: fixis oculis intueri, hoc est, attentius, accuratius & pressius rem considerare: puluerem ob oculos offundere, hoc est, rem obscurare de industria, & iudicium aduersario eripere: Oculus dexter mihi salit, id est, mihi spes, me visurum lætum quippiam & vehemẽter exoptandum: sic, oculus iustitiæ, syncerum & incorruptum iudicem denotat.

76. Prouerbia de oculis.

Et hæc de speculo naturæ, oculo scilicet: ad speculum artis in viam reuertor, à qua meâ opinione, non multum aberraui, demonstrans, quantum res postulare videtur, oculum rectè speculum dici & esse, tam mentis quam carnis: quorum oculorum elegantem conscripsit comparationem antiquissimus Theologus Theophilus ad Autolycum religionis Christianæ calumniatorem.

77. Oculum rectè dici & esse speculum.

Illud extra controuersiam est olimque fuit, speculum non tantum repræsentare simulachra rerum fere omnium quæcunque obijciuntur: verum etiam intervalla: vt speculum in arce Moguntina: colores, motus, numerum,

78. Specula varia.

pondus

pondus in æquilibrio, figuram, quietem, crassum, gracile, lucem ipsam, gnem: adeo, vt naues lædi & accendi ac comburi speculo possint, tum vestes.

79. *Naues comburi speculo posse.*

Cur vero specula incedant, ostendit Mich. in *comment. ad lib. 2. Plinii, Pag. 599.* quamuis doctissimus Bodinus, specula ardentia cæteris coloribus res infectas facile accendere, candidissimas non, nisi longissimo temporis intervallo & ardentissimo sole, notarit, *lib. 4. theat. nat. pag. 452.* Petrus Ramus *lib. 1. schol. Mathemat. Pag. 29.* Philosophorum nostri temporis facile princeps & Martyr Christi refert, Archimedem magna constructionis catoptrica fecisse, & librum de speculorum incensionibus scripsisse, vel de speculis comburentibus, in eoque docuisse, speculo, vt sit ad comburendum efficacissimum, formam dandam esse à parabola: specula enim concaua solis radiis facilius accenduntur, Plinius *lib. 1.*

80. *Bodinus de speculis comburentibus.*

81. *Ramus Martyr Christi.*

Imo scimus excellentissimum Iustum Cassellanum specula ex argento, plumbo & ære fecisse, quibus etiam nocte ad quid vis etiam, exercitum perlustrandum, tanquam lucerna vti possimus.

82. *Iustus Cassellanus Cæsar Rudolpho artifex gratus.*

Ferrariæ in ædibus Magnifici Dn. Hyppoliti Riminaldi, in aula Ducis eius familię vltimi, frater dilectissime Anno 1579. simul hærentes, & serenissimum Archiducem Ferdinandum, tum Maximilianum Magni Maximiliani II. filium: & Ferdinandum Ducem Bauariæ & illustrissimũ Dominum D. Ottonem Henricum Ducem Bruns. Lune. Herum nostrum, ac Carolum Marchionem Burg. in splẽdidissimo Comitatu Baronum Nobilium sequentes, vidimus speculum & multa in speculo concauo ora, dum secundum concauitatem plures speculorum concauorum portiones ponebantur vel accommodabantur, ac intuens ea secũdum speculorum numerum ea facile numerabam: In Camera Illustrissimi Principis ac Dn. Dn. Ludouici

Landgrauij Hassiæ excellentis recordationis Marpurgi: speculum inspexi loco vno sinuosum, alio concauum & in medio planum quod magnam imaginum diuersitatem, tum inuerso ordine repræsentabat.

Scribunt historici, Euagrius *lib.3. cap. 43.* Paulus Diacon. *lib.15.* Zonaras *Tom.2.* Melanchthon *li.3. Chron. pag.143.* Proclum Philosophum egregiũ Vitaliano Thrace seditioso Anastasium Imperatorem olim Scribam, ob Eutychianam hæresin, hodie in multis locis disputantium malitia renouatam, oppugnante, & Constantinopolim classe obsidente, specula vstoria caua fabricasse & de muro è regione hostilium nauium seditiosorum suspendisse, in quæ cum radii solares impegissent, ignem indè, fulminis instar, erũpentem classiarios ipsasque naues seditiosorum combussisse: incensis vero semel nauibus, nulla, nisi adsit in promptu dulcis aqua', speranda est liberatio: quia aqua marina flammæ infusa vehementius exuscitat ignem, Dio *lib.50. in Cæsar Octauia. pag.441.* Philippus Camerar. in *meditat. histor. Cent.1. cap.26.*

83. *Specula vstoria caua.*

84. *Aqua marina.*

Ex his similibus varia erui deducique posse, in aperto est quæ aliorum meditationi relinquemus diligenti, curiosæ & sagaci.

Cum vero speculum quasi exemplum sit, vt Ecclesia Romana scilicet aliarum Ecclesiarũ *can.4. dist.19.* & speculum, doctrinam, exemplum, operationem nobis exhibeat *Can. prædict. 66. 29. 9. 2.* varia nobis obiiciuntur specula.

85. *Mundũ esse speculum.*

Mundus est vice speculi & eius concinna creatio & cõstitutio, in qua licitum est, incompensibilem & inuisibilem Deum & gloriam ipsius conspicere, *Psalm.19.* & *Roman.1.* Quanta in eo diuina potentia sapientia infinita in cœlo & in terra? Iustitiæ & misericordiæ documenta?

86. *S. scriptura speculum.*

Sacra scriptura est loco speculi vel quasi speculi, in quo primo videmus naturã Dei non quod intelligatur à priori:

omni-

Omnium enim primam esse profitemur, & infinitis seculis
solā antè omnia admiramur: à Deo solo adæquatè cogno-
scitur, & per ipsam Deus, quia idem Deus quod illa. *Gal 4.*
2. Petri 1. Isa. 44. Apocal. 1. 1. 1. Corinth. 2. 1. Tim. 6. 15. A nobis
cognoscitur quadātenus, sed infinite inferius eo, quod ipsa
est: quia nos ab illa per emanationem externam.

Quia finitum, infinitum comprehendere plenè nō pōt:
Cognoscimus itaque immediatè per visionem clarā eius,
sicuti est: hæc facie ad faciem dicitur: & beatorum propria
in cœlis est *1. Corinth. 13. 1. Iohan. 3.* & dicemus in tractatu de
vitæ æternæ bono. Vel mediate per signa certa & imagines
analogicas sc. externas & opera Dei; vt verbū ipsius vnicum
scriptū *Ps. 19. Rom. 1. Rom. 10.* ꝙ ea parte qua Christū Dei ima-
ginem inconspicui & characterē hypostaseos ipsius splēdo-
remq; gloriæ ꝓponit eousq; cognitionem nostrā ꝓmouet
Heb. 13. 2. Corin. 3. vti retecta facie gloriā Dei & Domini no
stri in speculo intuentes in eandē imaginē transformemur
ex gloria in gloriam. Hæc per speculum in ænigmate dici
tur: Discemus ex natura & scriptura, Dei essentiam & vitā:
infinitam Entitatem, simplicitatem, æternitatem, immen-
sitatem, omni præsentiam, impatibilitatem, immutabilita-
tem, voluntatem, potentiam, perfectionem, beatitatem,
splendorem, tum Trinitatem ipsam.

Secundo: Hominis creationē, lapsum, mortem, redem-
ptionē, vitam æternam, condemnationē q̄ nostra sapientia
summa est. Non. n. tantū discimus, quid de Dei, essentia &
volūtate sit sentiendū: verum ēt in animo nostro deformi-
tatem, Scyllā & Chymæram quandam aspicimus, vt Chrys.
loquitur *tom. 5. homil. 23. ad populum Antioch.* profitemur, in-
quam, perfectissima in homine, in minimo non responde-
re puritati diuinæ, miseriam ac tenuitatē nostram infinitā 87. *Imbecillitas humana.*
diuinorum bonorum bonitatem non aspicere, neque cœ-
num cœlum intueri, sed vix terram terram posse: miseri,

noctuæ

noctuæ ad hunc solem, ieiuni ne quidem famelici, quid nobis deest petere possumus: quibus religio in ore fertilis vt & impietas in corde, pietas in actionibus & in vita ipsa sterilis imo otiosa: cum tamen nulla sit vera religio nisi cum pietate coniuncta, hoc est, timore Dei & dilectione fratris.

88. *Speculum spirituale semper inspiciendum.*

Sicut itaque vt supra recensuimus ex *Exod. cap. 38.* è speculis mulierum speculum in templo coram sacerdotibus erat positum, ad quod omnes gestus componerent, quoties sacra administrabant: ita nos, cum sanctitas Christiana non distet ordinibus, spirituale speculum tenere & inspicere oportet, in quo animæ nostræ spiritualem faciem considerare, & antiquum illud NOSCE TEIPSVM addiscere & de cœlo delapsum tenere queamus: quod foribus templi Apollinis Delphici literis aureis ascriptum Plato *in Chamide* & Plutarchus refert: γνῶθι σεαυτόν: & Alcibiadi apud Platonem *de natura hominis*, omnium difficilimum videtur. Antonius Zimara *libro problemat.* ex Cicerone *li. 1. de legib.* Iuuenali *satyra 2.* Ouidio 2. *artis am.* & Ausonio *Idyllio 4.* explicat.

89. *NOSSCE teipsum.*

" *Quanquam difficile est se noscere* γνῶθι σεαυτόν.
" *Quam propere legimus, tam cito negligimus.*

Laert. *lib. 1.* Plin. *lib. 7. cap. 32.* Macrobius *1. Saturnal. cap. 6.* eleganter Manutius in *adagiis pap. 279.* Homo vero det operam vt verum inspiciat speculum & recte se noscat; sunt enim duo specula in ipso homine, quæ intueri debet: vita & MORS vitam dicimus speculum concauum in quo fictã transuersamque faciem animaduertis: hoc est, existimas te ex omni parte beatum purum, nulla macula notatum, viuacem in multos annos, robustum: Sed speculum concauum mera figmenta ac fraudes repræsentat inanes. Mortẽ appellamus speculum planum, quod nihil celat nihil

sup-

ſupprimit nihil mutat: Si itaque aues ſcire quis ſis ô homo: inſpice hominem non viuum, ſed morte extinctum: & videbis eſſe terram, puluerẽ, cinerem, & cauernam: omnis impuritatis: videbis nobilitatem tuam, imperium tuum quod exerces in alios.

Noli putare, lector, hoc tantum Philoſophice dictum ad arrogantiam minuendam: verum etiam, vt bona noſtra & mala norimus, imbecillitatem & vitam æternam.

Hoc autem ſpeculum eſt Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum doctrina, in qua abſque labore, quid nobis deſit, & quid non ritè compoſitum depredendimus: ſapiẽter enim Philoſophos dixiſſe non ignoramus: Rectum ſui menſuram eſſe pariter ac obliqui: Obliquum enim recto comparatum aperte obliquitatem detegere: Sic etiam doctrinam ſacram viam recte beateque viuendi agendique, docentem omnes animæ noſtræ obliquitates etiam occultas in lucem proferre. 90. *Rectum & obliquum.*

Et hinc notant interpretes dicti *cap. 38.* Apoſtolum inter diuini verbi laudes hanc etiam numerare, quod ſit diſcretor cogitatioum & intentionnum cordis, & nulla creatura ſit inuiſibilis in conſpectu eius *Heb. 4.* Sequitur ergo, ſpeculum diuini verbi omnia referte, omnia detegere, omnia diſcernere, ſi quis conſtitutionẽ mentis ſuæ explorare & inſpicere voluerit: hinc Aug. ſcripſit librum quem *Speculum* vocat, *Tom. 3. fol. 906.* tũ *Speculum peccatoris, Tom. 9. fol. 1010.* & aliud *Speculum, Tom. 9. folio 870.* 91. *Verbũ Dei.*

Oportet ergo nos diuinum illud ſpeculum & iudicium aſſiduè conſiderare, horrere & pertimeſcere, & diuina præcepta, vt Theodoretus explicat diligenter ſeruare, & promiſſam quietem expectare, quam cum Chriſto conſequamur. 92. *Vis ſpeculi diuini.*

Aſpiciamus fixis oculis in hoc ſpeculo, cœlum & mundum, gloriam in cœlo, actiones miras & diras in mundo, ex

ijs & mundi fabrica noticiam Dei elucentem admirabili, nosmetque ipsos in omni vitæ genere: videbimus nostras miserias, ærumnas, videbimus etiam liberationem & salutem: discemus etiam, nucibus relictis, modum assequendæ salutis, & purgabimus animam auaritia, superbia, libidine, inuidia, calumnia, odio, versutia ac liuore, & ingentem plurimarum rerum obscuritatem seponemus, & eruditionem in rebus diuinis factiones gignentem negligemus, diuitias, non quod malæ sint, sed plerumque inuoluãt hominem curis huius mundi, non anxiè sub iuris prætextu & colore adquiremus.

Cum ex Platonis sententia vix probus esse queat qui Diues est: quod fere eodem modo Saluatorem nostrum enũciare putat Origenes.

93. *Vsus speculi spiritualis.* Nec enim deformitatem tantum ostendit: verum & informam incomparabilem, si gratia Dei velimus, trãsmutat, vt Diaboli ac impiorum ferociam insuperabilem facilè ac atomo quasi retundere, arrogantiam omnibus insitam domare, validissima ambitionis & superbiæ præsidia diruere, tela & arma incontinentiæ comminuere, machinationes mũdanas euertere, vires audaciæ infringere, astutiam versutissimorum contemnere queamus, in hoc speculo videmus an anima nostra sit pulchra vel deformis Diego stella late & eleganter *lib. 1. cap. 69. Della vanita del mundo pag. 132.*

64. *Immensi abusus speculi diuini.* Si vero hoc speculum non sit authoritate diuina & immota certitudine sublitum, sed humanis traditionibus conspurcatum, coactis interpretationibus & nimium plũbeis deprauatum, eius immensi sunt abusus: quicquid enim videmus, quasi per speculum & ænigma videmus, hoc est, per sermonem aliud recte significantem & sub obscurã rerum cognitionem, clariorem in altera vita futuram, & Deũ

nos.

nos visuros à facie ad faciem, non quod faciem aliquam habeat Deus, sed vt ostendat notionem quandam manifestam nobis & claram admodum & patentem futuram, vt exponit S. Athanasius.

Christus saluator nobis absolutissimum & perfectissimum est speculum: in quo habemus quisque pro captu suo quod miremur quod imitemur: Quia omnibus omnia factus est, vt omnes faceret saluos, *1. Corinth. 9.* Fidelibus cunctis se aptauit & imitabilem proposuit: quod speculum purissimum proposuerunt illi, qui de imitatione Christi libros scripserunt. Gueuara in libro *passa tiempo pa. 140.* Multa inuenies, quæ imitari nec possimus, nec debemus: infinita quæ gloria Dei possumus.

Sic Christus Iohannis 16. *in prouerbiis locutus sum vobis,* id est, per similitudinem, per symbola & figuras. Non enim in hac vita cæca Deum & generationem æternam ad intra se ipsam immediate & clare cognoscere possumus, sed per similia quædam instruimur, vt per emanationem riui ex fonte splendoris à luce, claritatis ab igne, *1. Tim. 6.* vt explicat Dionysius: Apparebit ex speculo, tyrannicũ esse exilijs, direptionibus, minis, terroribus, iuramẽtis, morte cõpellere aliquem, vt accedat interpretationi arcanorũ priuatæ: tam. n. periculi plenum, quam parum religiosum ac pium, hoc est vt & de rebus diuinis humano modo disserere, incomprehensibilia crasso more scrutari ac definire, & de semotis à nostro captu & in sacra scriptura nõ decisis iudicare, quod est, aues quęrere. Satius est, generales loquutiones in scriptura expressas, ob meram nostram hebetudinem apprehendere, quam speciales nouas, inauditas & venerãdæ antiquitate incognitas sectari defendere.

95. *Tyrannicum esse ad fidem & credendũ cogere.*

Sumus enim de alto dignitatis & cognitionis gradu, nostra culpa deiecti, & in angustias inscitiæ coniecti, vt abdita & retrusa mysteria diuina neque arripere, neque in-

96. *Cæcitas & inscitia in rebus diuinis.*

 telligere,

telligere, neque apertis oculis, tanquam degeneres quidam aquilæ solem aspicere prorsus nequeamus, imo, vix ea quidem, quæ in manibus sunt, per nebulam & densam quandam caliginem contueri possimus miseri. Quisquis obscurum ignoras, diuino numine auspice, in timore ac tremore disce: atque admirans magnalia Domini & res magnas, puris semper in sensibus summa humilitate, meticulosa obseruatione, ac sancta illa & arcana mysteria absque cauillatione, bona & sincera fide custodi: ita certe sordescet & fœtebit, quæ nobis mirifice imponebat, sapientiæ opinio stulta & distinctionum copia.

97. *Curiosas quæstiones abiiciendas.*

Relinquamus itaque ociosis curiosas quæstiones, bullatas nugas & aniles opiniones, quæ citra salutis dispendium vel ignorari vel in ambiguo relinqui poterunt, donec sublato speculo & ænigmate plenissimam omnium rerum cognitionem, Deum de facie intuentes, haurire, emergere ad diuinam immortaliumque rerum contemplationem perfectam, & totos illos immortales thesauros, tetro corporis carcere relicto, & animo salutis vinculis educto, possimus: Deo potius gratias, pro tenui, quam in diuinis habemus, luce & beneficentia magna, quod non in vniuersum simus talpæ, agamus: quod ne quidem in nostris est viribus nisi Deo beneficio concedatur, nisi nouo eius beneficio indies cumulemur.

Ipse enim est solus, qui facultatem ad res qualitercunque intelligendas & peragendas largiri, & tribuere, tum os tremebundum & titubans aperire, & speculum purgare consueuit: Quam multa reperiuntur in hodiernis controuersiis, quæ neque scire commodum, neque ignorare detrimentum est: Religio nō est quæ altercationibus & nuda speculatione contenta ad animos pascendos comparata est: sed quæ veritatem simplicem sectatur, charitatem spirat & homines ad pietatem ducit, qua discant cu-

piditates fugere , domitisque affectibus vitare mundi inquinamenta

Quid igitur illis Principibus, Theologis, Consiliariis in dissentientes sæuientibus aliud dicendum & opponendũ est, quam quod Dominus per Prophetam dixit: *Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est, non obligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsiuistis, sed cum austeritate imperastis eis & cum potentia.* 98. *Sæuientibus indissentientes Christianos quid sit dicendum.*

Fatebuntur qui historias legerunt, persequutiones conscientiarum esse omnium acerrimas , & nullum genus atrocitatis ab vllo veterum Tyrannorum, quorum prodita est literis diritas , in vllum facinorosum & infestissimum grauius vsurpatum fuisse: Crediderunt illi non exilijs, non proscriptionibus: non crudelitate , non inaudito modo confirmandæ religiones non suppliciorum terrore , sed mansuetudine , doctrina parandam & conseruandam esse Rempublicam religionemque: Thomas Morus *lib. 2 Vtopiæ, pag. 264.* 99. *Persequutiones conscientiarum omnium esse acerrimas.* 100. *Iuramentũ non esse modum confirmandæ religionis.*

Animaduertunt, & cæci vident, Icti rident, gladio, igni, aqua nihil effici : Græcam dicit Clemens Alexandrinus *lib. 6. stromatum fol. 143. in fin.* Philosophiam: si quiuis magistratus prohibuerit, ea statim perit, nostram autem doctrinam à prima vsque prædicatione prohibent simul Reges & Tyranni & singuli Duces & magistratus cũ vniuersis satellitibus, & innumerabilibus etiã hominibus in nos belligerantes & nos pro viribus excindere conantes: Illa autem magis etiam floret: non .n. emoritur: vt doctrina humana, neq; flaccescit vt donum imbecillũ: Nullũ .n. Dei, donũ est imbecillũ: Deprehendimus insidias & cuniculos, quibus à maleuolis, & sacrũ denariũ diligẽtibus veritas subuertitur. Sed illi valeant, quib. medicamenta nihil cõferunt: Execrationibus, iuramentis, vi, metu, proscriptionibus, mandatis,

relegationibus nihil efficient aliud, quam vt risum moueant vbique.

Antiqui bonis operibus assiduè ornarunt templa & cōciones & illa auro: Hodie Concionatores disputationibus meris & nudis: Illi sunt aurei & argentei, conciones plumbeæ, ligneæ, æneæ, æs tinnitu magis ac sonitu, aurum magis fulgore quam sonitu commendatur.

Nostri verborum apparatu & altercationibus præeminent: Antiqui vitæ luce, fulgore, orationibus assiduis, vel precationibus, humilitate & sanctimonia excellebant. Magistratui tamen concessum est mandatis iniungere subditis, vt à concionatoribus proposita audiant: sed cogere vt quis credat audita ijsque fidem adhibeat imperio nullo effici potest.

101. *Domitiani tyrannis.*

Sed quid mirum, prætextu religionis sæuire potentes in miseros, cum Domitianus Pompusanium accusatum, q; haberet orbem terræ pictum in parietibus cubiculi quodq; conciones Regum & cæterorum Principum, quæ apud Liuium extant, studiosè legeret, interfecerit: In audaciorē aut effrenatiorem prorumpere non potuit mōstrum illud modum: *Ne sint nobis*, in causa religionis, *Tutores. supera, infera, aduersa auersa eodem iure habentes.*

104. *Incorrupto speculo vtendum ad D.ū videndum.*

Vero incorrupto speculo ad Deum vidēdum, vti possumus, imo intuendum: Si enim inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, vt S. Bernhardus loquitur, *libro de interior. domo cap. 13. fol. 1207.* vbi, quæso, magis in eius imagine cognitionis eius vestigia expressius impressa reperiuntur: quam in singulis operibus suis? Quemadmodum vero speculorum fulgor menstruis hebetatur: ita impura nostra vita speculo huic significationem eripit & repræsentationi: sicut tamen nitor amissus speculi restitui potest; ita & hoc speculum, verum alio pacto nitorem recipere potest.

Tergat

Tergat ergo ſpeculum ſuum quiſquis ſitit videre Deum ſuum, luce quaſi veſtimento amictum : *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Hoc ſpeculum verus pœnitens non ceſſet cotidie inſpicere tergere, tenere, & cuſtodire, ſi aliquid in eo reperiat, quod Deo diſpliceat. 102. *Quomodo tergendum ſpeculum.*

Tergere non ſolum peccata actionum, verum etiam cogitationum, vt nihil in eo remaneat, quod Deum offendat: tenere, ne deorſum corruens terræ per amorem inhæreat, ne inanium cogitationum puluere ſordeſcat? Cuſtodire, vt ille, cuius tabernaculum eſt cum hominibus, cuius delitiæ ſunt eſſe cum filijs hominum, qui ad oſtium ſtat & pulſat, quacunque ho a intrare voluerit, receptaculum mundum inueniat.

Tunc, ſicut de gloria in gloriam tranſibimus & in lumine videbimus lumen: ita per ſpeculum verum, faciem Dei ipſam quandoque cernemus, Hilar. in *pſal. 118. fol. 557*. 105. *Purum ſpeculum ex quibus ſit factum.*

Speculum ſi impurum ſit, homo non aliter ac pauo in ſpeculo ſuperbiens, propter errores varios & peccata praua, ſpecula relinquit & criſtas dimittit: Purum vero ſpeculum factum eſt ex vitreis tribus, per quos ſolis radius infunditur: 1. ex integritate charitatis, per quam peccati remiſſio ſe infundit: 2. puritate humilitationis, per quam gratia cœleſtis Mariæ illapſa eſt: 3. & ſubtilitate intellectus, per quam radius ſapientiæ cor illuſtrat: Bernhar. *in ſent. fol. 483.* Speculum diuinum inſpicientibus religio ſit, pudor ſit falſa tueri, & impotenti odio incautas mentes in ſuas partes pertrahere, vel ſæuire in lapſum, vel, quod ſemel animi & diſputandi feruore prolatum eſt, ſemper tueri, etiamſi manifeſtum ſit perperam effuſum.

Obſeruetur tamē hic diligenter, quod prouerbialiter dicitur: *ad Lucernæ Lumen ne te ſpeculo contempleris*, Pythagora admonente, non ſcilicet credas viſis illis: quæ per ſenſus in animos referuntur, ſed plus illis tribuas, quæ 106. *Ad Lucerna lumen ne te contempl. ris.*

medi-

meditatione prudentiaque acquirere poteris. Denique quemadmodum ſpeculum puriſſimum & terſum bene afflatu aſtantis obſcurius fit: Sic homo pius & virtuoſus, propius accedens vitioſum eiq; cohabitans corrumpitur & fit improbus. Speculum egregium nobis præbent libri hiſtoriarum ſacrarum & prophanarum, vt fatentur omnes, qui Mython plaſma & veram hiſtoriam per tranſennam tantum inſpexerunt & primoribus labris guſtarunt: ſunt enim ſpeculum omnipotentiæ diuinæ, cuius intellexiſſe potentiam, radix eſt immortalitatis, in res etiam minutiſſimas intentæ, & calamitatum & miſeriarum & mutationum infinitarum humanarum: quæ modeſtia vel timor celauit, in theatrum producit, quæ liuor attriuit, vel calumnia diſtorſa, vel imperitia non obſeruauit, publica facit: vt omnes conſpiciant.

107. *Hiſtoriarum ſpeculum.*

108. *Studium hiſtoricum à Deo & prudentiſſimis commēdatū.*

Et eam ob cauſam, locis variis claſſicorum authorum omiſſis, ſtudium hiſtoricum à Deo ipſo commendatum eſſe manifeſtè probatur, *libr. 5. Moyſis cap. 4. Ioel. 1. cap.* Melanchton inſignis hiſtoricus & Poeta, quod ita exprimit:

In genere humano cernit Deus omnia vindex,
Et certa iniuſtis pœna venire ſolet,
Huius iudicij teſtes cognoſcere ſemper
Hiſtorias ſapiens præcipit ipſe Deus:
Ingentem vt metuas præſentis Iudicis iram,
Et pœnæ frenet mollia corda metus.

Et Latinus Rex Trojanus 7. Æneid. dicebat:

Atq; equidem memini (fama eſt obſcurior annis)
Auruncos ita ferre ſenes.

Eleganter Nathan — Chytræus Sylua XIII. —

Hiſtoriam humanæ ſpeculum qui nomine vitæ
Dixit, is hiſtoriæ veraci prouidus ore.

Naturam

Naturam vere expressit, quiq; illius vsus
Vtilitasq; foret, perfectum nouit ad vnguem
Non virtutum etenim, tantum hic exempla videntur.
Quæ cum laude sequi, quiuis pro tempore possit:
Crimina non tantum scelerumq; exempla pudenda
Hic sunt perscripta & comitantes crimina pœnæ
Qua fugias odioq; habeas cane peius & angue
Verum etiam mores hominum commenta, doliq;
Ingenia & technæ rerumq; euenta priorum
Commemorata libris æui præsentis adumbrant
Omnibus effigiem qui non sine mente sagaci
Cuncta legunt: Et prisca nouis componere norunt.
Præterea tam præstantes virtute fideq;
Doctrinaue viri, & memores quandoq; merendo
Qui multos facere sui, cum luminis huius
Vitalem liquere auram: post funera virtus.
Illorum peritura alias benè cognita durat.
Historicis comprensa libris vel postuma læto
Flore reuiuiscit scriptis dispersa per orbem.
Quæ quicunq; vident, animus nisi degener insit.
Pectore concipiunt flammam, quæ viuida tandem
Crescit in immensum faculis cœlestibus ardens.
Vsq; adeo, vt liquidis sedari nesciat vndas.
Donec adæquarit priscorum propria laudes
Gloria, mox iterum serò celebranda nepoti
Alius quidam non minus venustè:
Vetera quærit: vetera amat
Hunc morem maiorum scias.

Quod speculum si Imperator, Rex Princeps cotidè intuetur, cristas deponet & abiiciet, & publicam salutem, priuatis neglectis thesauris, exactionibus, tributis, procurabit, & tandem exigat in periculo constitutus panem sibi mitti spongiam, & cytharam: panem, fami eleuandæ: spon- *109. Vsus historiarum.*

giam & cytharam: panem, fami eleuandę: spongiam, siccãdis oculis: cytharam, leniendo animo. Et addiscent in tantis tenebris & quasi parietinis Reipublicæ, Fidẽ, iustitiam, virtutẽ, clementiam amandã, fraudem, licẽtiã, proteruitatem, confusionem hominum & rerum vitandam ac fugiẽdam & in se ipsos descendent, qui terram incolunt, falsam esse Regũ potentiam, nesciẽtem leges, atq; vnum eo nomine dignũ, qui verè imperiũ inhibet cœlo, terræ, mari & mortalibus omnibus: Discent vel serò, ne Deo impia bella moueant, sed animos ponant tumidosque flatus remittant: & Domino rerũ colla submittant. Qui te qui Rempub. ruere aut vertere potest: Quis mortaliũ sic subito deijcere ac calcare Regem Heinr. 2. Carol. 9. Heinr. 3. Heinric. 4. Galliæ potuisset, p̃ter diuinum Decretũ. Addiscẽt priuati, propter peccata commissa, ima, summa, & summa ima fieri, &, per quæ quis peccat, per eadem puniri eundẽ, & vitã improbã mutabunt. Homines enim, Polybio teste, in melius mutãtur, vnus ob suam cuiusq; calamitatem; alter, ob alienæ calamitatis exemplum, *lib. 1. hist.*

Stringat hic qui volet eloquentiæ gladium, & facem historiarum & speculi faciem accendat illustretq;, additis veterum & neotericorum monitis, & inde explicet, æqualem esse omnium rerum conuersionem imo euersionem, nec quicquam sub sole nouum esse, & agi semper eandem, mutatis personis, Cœmediam, Tragœdiam, eamq; finiri alijs medijs, alia forma, alijs stratagematis.

110. Nihil noui sub sole.

In summa, Imperia magna mortalia: id vnum scilicet venenum eamque labem opulentis ciuitatibus repertam, vt magna imperia mortalia essent, Liuius *lib. 2. decad.* & sic nasci, mori, renasci, ægrotare, senescere, interire, imperia, regna, oppida, ciuitates, familias, & belli & pacis nebulas in magna malorũ nubila coire, & magna nomina & terræ numina, lumina & columnia fluxæ potentiæ ac Maiestatis tũ

111. Imperia magna mortalia.

112. Sic omnia verti cerni-

fœlicitatis insignia subito turbine quassata, fracta, extincta, & eodem, quo tollebantur; momento, euersa, tum aduersa ex secundis, secunda ex aduersis nata: O miras sine mora vices? ô inopinatas à summa potentia? Contrariis rebus constat æternitas, non igitur sis malo in hoc mundo Tyro.

nus atq; aliâ sumere ro- ora gentem, Concidere as.

Tanta est rerum discordia in æuo,
Et subtenta bonis mala sunt, lachrymæq; sequuntur
Vota: nec in cunctis seruat fortuna tenorem.

Hinc propter peccata mortalium tot nationum, tot populorum, tot prouinciarum, tot regionum conuersiones, euersiones, iacturæ, interitus & lusus fortunæ mirabilis: humanarum mentiũ ludibrium: ô acerba & terribilis memoria tot calamitatum, & acutissimum diuinæ vltionis gladiũ: ô terribiles & ineuertibiles pœnæ diuinæ manus.

113. *Vndè conuersiones perpetuæ.*

Videbit etiam in hoc speculo vitia omnium mortalium latere non posse, imprimis Principiũ. Sicut. n. inter vacua vasa non facile discernere licet, quod eorum integrum quodque vacuum vel vitiosum sit: sed vbi aliquid infuderis, statim apparet quod perfluat: ita animæ nimis fatiscentes infusam potentiam non continent, sed foras defluunt auaritia, superbia, ira, arrogãtia, & multis iniustis cupiditatibus, inprimis, si Dei & verbi diuini contemptus, fraudes, callidæ simulationes, versutia, licentia, fœlix rerum successus & copia, consiliarii improbi, adulatores omnia cõmissa, qualiacunque sint, expedientes, satellites, detestãdi Eunuchi auarique aulici, stulti vel detestabiles & denique rerum publicarum ignorantia accesserint:

114. *In speculo historico vitia mortalium apparere.*

Vt nemo doceat fraudis & sceleris vias
Regnum docebit: Seneca in Thyeste

vers. 311. Quod nullibi ferè melius, expressius & plenius de

115. *Regnum docere fraudes*

mortalium ingenio corrupto traditur, ac libro 6. antiquitatum Iosephi capit. 14. enarrantis, Regis furorem contra
116. *Elegans locus Iosephi.* iudices & sacerdotes: tantisper, dum humiles sunt, inquit, atque plebei, qui non audent nec liberum est naturæ obsequi, æqui ac boni viri esse videntur, mirumque quoddam iustitiæ studium præse ferunt, quin & pietatem in terra colunt, Deumque omnibus actionibus nostris interesse, omnes denique cogitationes intueri persuasum habent: sed simulatque ad potentiam & imperium prouecti sunt, exutis pristinis moribus, & tanquam in Scena, mutato habitu nouaque persona assumpta, in omnem audaciam & insolentiam diuinarumque æquè ac humanarum rerum contemptum prolabuntur, & cum ad superandam inuidiam maximè illis opus sit pietate & iustitia, cumque omnes eorum non actiones solum: verum etiam voluntates in conspicuo sint omnibus propositę, tum maximè (tanquam aut dissimulante Deo, aut & ipso potestatem eorum formidante) in subitos debacchantur, & quicquid aut per inanem metum vel fauorem rationabilem decernunt, id tum hominibus ratum, tum Deo quoque ipsi probatum esse existimant: futurorum vero nullum nec respectum prorsus, nec rationem habent. ô Principum infelix ac miseranda conditio: ô sine fide & sine tormentum. Series Historiarum tam sacrarum, quam profanarum satis ostendit, plerumque impiam Tyrannidem, legum contemtum, seditiones, vim iniustam & alia eiusdem generis nefaria scelera vbique locorum & in quibus vis imperiis, secutam conuersionem & euersionem: Apparet ex Historijs Principes vel commodare, vel nocere Reipub. Vnde tot vices nostra etiam secula nobis exhibent. Rerumpub. dum quædam in pristinam libertatem se armis vindicarunt: dum aliæ contra ius & æquitatem, seruitutis iugo premuntur: Quædam inter spem & metum anxiæ, quo &

in quam partem inclinent, deliberant. Prudentiam itaque ex Historiis hauriant, vt vera iustitia, fortitudine & clemẽtia, tanquam fulcro Regni, diuino Dei moderantis fauore & auxilio freti incolumem imperij sedem retineant & cõseruent: Vbi non parcitur subditis, vbi iure non viuitur: vbi virtus præmium non consequitur, vbi vicium pœnis; tanquam delictorum euerriculo non coercetur: vbi in secundis rebus superbitur, vbi quisque contemnitur, vbi senatus negligitur: vbi pro libitu res geritur, vbi supprimitur veritas, vbi posteritati non prospicitur: vbi sub specie & colore publici commodi, diuini honoris iustitia & pauperũ grex opprimitur: ibi salua Respub. & salus priuatorum, esse non poterit.

Speculis Magi ad magicas artes & fascinationes exercendas vtuntur & abutuntur. Narratur, ex Cæsaribus Didium Iulianum Magum, inuito populo, creatum, qui, vt odium populi & militum leniret, multa per Magos experiebatur, & ita non conuenientes Romanis sacris hostias immolari curauit & carminibus incantari, & ea quæ ad speculum dicuntur fieri, in quo pueri præligatis oculis incantato vertice respicere dicuntur; & prædictos Magos *specularios* appellant; Saresberiensis in *Polycratico lib. 2. ca.* 28. *pag.* 119. 117. *Speculum magicum.* 118. *Didium Iulianum magum fuisse.* 119. *Magi speculari.*

Et hanc diuinationem ex speculo *catoptromanticam* vocant, qua ex nitidis tersisque diuinant speculis, in quibus quæsitarum rerum imagines effictas redditasue à Diabolo remittere videntur.

Peucerus vir grauis & incomparabilis eruditionis, incredibilisque iudicii, tum in lectione veterum historicorũ exercitatissimus, quem tu, frater Charissime, per nouem annos, ego per biennium docentem audiuimus, *de diuinationum generibus. titul. de Magia pag.* 300. ex quo illa amicus noster Godelmannus *lib. 1. cap. 5. de ariolis* desumpsit. 120. *Casp. Peucerus.*

Nemo ſanæ mentis negabit, multa imo infinita Diabolum in ſpeculis poſſe, exhibendo mortuos & viuos, tum futuros amicos, cõiuges? ſed idem hominum impoſtura, fallacia, calliditate ac agilitate fieri, nobis author eſt Scotus ille Magus in Miſnia & vicinia, meo tempore, notiſſimus, nulli minus ac Electori Saxoniæ D. Chriſtiano, excellentis recordationis gratus: (in cuius mortem & memoriam tale conſcriptum eſt Epitaphium:

121. *Scotũ magũ Electori Chriſtiano nõ fuiſſe gratum.*

122. *Epitaphium Electoris Chriſtiani.*

Ne quæras quiſnam hic iaceat? circumſpice quiſnam
Deſit? & agnoſces, quis ſolus hic iaceat)

Cum effici arte queat, vt imaginem vel ſimulachrum in aere extra ſpeculum videamus. Tradiderunt. n. in opticis artifices paſſim, ſpeculum conſtrui poſſe, vt vnus idem videat ſibi tantũ, tum plures choreas ducentes: collocari inſuper ſpecula poſſe, vt, q̃ in alicuius fiunt ædibus, ꝑbe perſpiciamus: confici, inq̃, poſſe ſpecula vt, qui ſe in eo aſpiciat, ſuam imaginem volare quaſi animaduertat; vnde Gellius, *Speculum in certo loco poſitum nihil imaginat, aliorſum translatũ facit imagines:* Conceſſero non inuitus, ſed lubens Scotum Magum fuiſſe. Obſeruaui tamen Dresdę nõn ſemel Scotũ ſubtilitate ac impoſtura multa expediuiſſe, ab alijs magica dicta & habita; ſcio alios aliter iudicare, ſed ſcio illos abſque ſcopo iaculari. Vnum hoc immotum eſt: omne diuinationum genus, vanum eſſe: cum p̃dictionibus, animi turbentur, & ad nouas ac magnas ſpes & res impellantur. Et eam ob cauſam C. Tacitus: Magorũ genus potentibus infidum, ſperantibus fallax *li. 1. Hiſtor.* appellat.

123. *Impoſtores non ſemper magos eſſe.*

Speculum quoque poteſt proponi Aulicis ac Politicis in externa atque politica vita ad intuendum honeſtarum ac turpium actionum diſcrimen, ad imitandam optimarum partium & artium aulicorum vitam, integritatem, innocentiam, ſi quæ in aulis quærenda eſt.

124. *Speculum aulicum & politicum.*

Nam

Nam si velis tantum optimorum aulicorum imagines inspicere, deformitatem & constupratam mentem simul improborum aulicorum videbis: & cum videris, nihil aliud tibi iam opus erit, vt ab eiusmodi deformitate libereris, vel aulæ valedicas vel speculum abijcias.

Intuens aulicus verum aulicum imitetur, improbum intueatur & improbet fugiatque. Alienam vitam rectissimè specula dixeris, vt & facta, imaginem, in qua te videas & te ad eandem decore componas.

Nullum enim verum speculum: nulla res est speculum alterius, inquit Tertull. *libro aduersus Hermogenem fol. 358.* id est, non coæqualis. Nemo se apud tonsorem pro homine mulũ inspexit: ita tñ vt dextra sinistra appareat, & contra etiam in planis, ideo, q̄ forma abstracta à re visa, per actum luminis appareat in speculo: non vt voluit Euclides in *lib. de speculis*, quod videamus p̄ lineas radiales ab oculis egrediẽtes, Vincentius *c. 81. quæst. natur. c. 5.* specula enim tãtum aduersis, Seneca authore, *dict. lib. 1. quæst. ca. 4. 5.* respondent. Bonus si non fueris, speculi huius nullus vsus promiscuus tibi: quid. n. cæco cum speculo? & vt habet græcũ prouerbium τί τυφλῷ καὶ κατόπτρῳ *Luminibus orbo cum speculo quid est rei?* inquit Epicharmus: Bellissimè Terentius: *inspicere tanquam in speculum vitas omnium iubeo*: vndè etiam prouerbium, *tanquam in speculo*: ὡς ἐν κατόπτρῳ Plato *10. de legibus*, Erasmus, Cognatus, & Aldus quod explicant. Ne tamen sit tanquã speculum: hoc enim monstrat nobis maculas vultis nostri & proprias non videt Diego stella *part. 1. Della vanita del mondo cap. 31.*

125. *Nulla rem speculam alterius.*

126. *Cæco speculũ non conducere.*

127. *Tanquam in speculo.*

Plato voluit, Iracundi & ebrii speculum inspicerent, ad animi perturbationes vitandas & vitia corrigenda. Socratis consilio iuuenibus, in primis aulicis conducunt multa specula: in ijs deprehendentes deformitatem, formã neglectã compensent pulchritudine animi ac virtutũ: elegantẽ formam

128. *Iracundis speculum.*

129. *Et iuuenes inspicere debere.*

mam ſpectantes eam conſeruent caſtitate, temperantia, honeſtis exercitijs, & ornatiorem reddant virtutibus. Sic ex parte hic mortales omnes non tantum aulici addiſcere & noſcere poſſunt ſpecula inſpicientes (quæ à ſpeciendo dicta voluit Varro 4. *de ling. latin.* eo quod mortales ſe in eo aſpectent & καλόπτρον Polluc. *lib. 7. cap. 22. & lib. 10. cap. 28.* vocat) qui ſint, qui eſſe debeant, Senec. *libr. 1. natural. quæſt. capit. 17.*

130. *Senibus vtile ſpeculum.* Iuuenes ſenes fieri; Senes, breui moriendum, vel ex facie & rugis cum canitie addiſcunt: Iuuenem cito mori, ſenem diu viuere non poſſe, Hieronymus *epiſt. 16. fol. 40.* & nihil intereſſe inter eum, qui decem vixit annos & eum qui mille, poſtquam idem vitæ finis aduenerit, & irrecuſabilis mortis neceſſitas, & tranſactum omne tantundem eſſe niſi quod ſenex magis onuſtus peccatorum faſce proficiſcatur, S. Hieronymus in *Epitaphio Nepotiani*, *tom. 1. fol. 9.*

Videbunt, inquam, vexilla mortis in canitie erecta: cutem corroſam, maciem ſenilem arantem rugis frontem & dudum infantem, ſubito puerum fieri, repente iuuenem & vſque ad ſenectutem per ſpacia mutari incerta, & ante ſe ſenem intelligi, quam iuuenem ſe non eſſe miretur: in pulchra & iuuenili facie multarum ærumnarum deuorandam materiam; formoſiorem tamen ſenilem ac iuuenilem faciem experientia, pietate, prudentia incultam, perturbatione plenam recte dixeris, Glab. Paleotus *de bono ſenect.* cum tamen ſenectute extrema forma defloreſcat, Ouid. 3. Triſtium:

131. *Similem faciem formoſiorem iuuenili.*

Iſta decens facies longis vitiabitur annis,
Rugaq́ in antiqua fronte ſenilis erit.

132. *Senes aulicos ſpeculũ remittere debere mundo immundo.* Senes, ſiue viri, præſertim aulici, ſiue fœminæ, ſpeculum voluptatum, quo vſæ ſunt ad ſuperbiam, auaritiam, ebrie-

tatem,

tatem, insanam libidem, Aulæ, Baccho, Veneri & Diabolo dicare debent: quemadmodum scorta olim rugas contrahentia, specula Veneri dicabant: & quæstui Meretrices renunciantes, nomen sibi ingenuum sumebāt: pulchra enim mulier quæ post se trahebat adolescentulorum greges, arata fronte contemnetur, & quæ prius amori, postea fastidio erit;

133. Scorta rugas contrahentia dicare Veneri specula.

Ausonius.

Lais, anus Veneri speculum dico: dignum habeat se
AEterna æternum forma ministerium:
At mihi nullus in hoc vsus, quia cernere talem
Qualis sum nolo, qualis eram nequeo.

Lepidè Horat. lib. 4. odā 10.

Heu quoties te
Speculo videris alterum:
Quæ mens est hodie cur eadem non puero fuit?
Vel, cur his animis incolumes non redeunt genæ?
Cessante amoris igne eoq; extincto, remouentur specula.

Ouid. lib. 1. elegiâ 14.

Quid male compositos quereris periisse capillos,
Quid speculum mœsta ponis inepta manu?

Corrigitur itaque tandem hic abusus speculi temporis lapsu & iactura, quam Democritus sumptuosissimam dicebat.

134. Instrumenta artis suspendenda.

Quemadmodum enim milites, qui cessant per ætatē à bellicis functionibus & dimissionem honestam impetrant, arma dicūtur ponere: tum illi, qui artem aliquam professi, artique renunciantes Deo, qui arti præerat, instrumenta eius artis suspendebant, Horat.

Nunc arma defunctumq; bello
Barbyton hic paries habebit:

Sic impii homines instruméta, quibus peccarunt, in effœta senectute Deo offerunt. Sero, imò non offerunt. Dolendum tamen est etiam senes inueniri eosq; ætatis molestiarum oblitos, amare mundities, ornatum, leporem, nitorem comtum, ludos, iocum, Venerem, carnẽ, delitias, denique vitæ suauitatem, sequi conuiuia, cantus hymeneos, choreas pompas, festos dies, Theatra: O inane & lubricum caput & dilirum: Senes pueri dicunt:

Ne rugas Mariana meas neu despice canos
De sene nam iuuenem Dia referre potes.
Digna Iouis Thalamis ò & Ioue digna marito.
Quid mirum si me candida nympha fugis.
Delitiæ Mariana meæ, si digeris annis,
Iuppiter hac fiet iam ratione senex.
Et cani flores, orientia sydera cana,
Canaq; quæ torquet spicula blandus amor.

Nemo mihi persuadebit, vel mihi persuaderi non patiar: in pectore senis huiusmodi habitare spiritum Dei, imo nõ quidem virtutem Ethnicam.

Non legerunt, vel legerunt nec retinuerunt Psalmum 61. num. 18.

Tu quoq; præcipitis per iter decliue senectæ,
In partem cum iam peiorem liquitur ætas
Frontis marmor arans rugis niue tempora spargens.
Ne senio fractum denatæ desere vitæ
Donec me laudum discant præcone tuarum,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.
Qua te consilium serues virtute fideq;.

Meretrices tandem deserunt specula & illas, amatores iuxta illud Plauti. *Te deseret ille ætate & satietate.* Terentius appositæ: *Quippe forma impulsi nostra nos amatores*

colunt:

colunt : Hæc vbi immutata est, illi suum animum alio conferunt: Nisi prospectum interea aliquod nobis est deserta viuimus.

Vtamur speculo, non more Hortensii, qui faciem in speculo quęrebat, istius scilicet dealbati, à quo *Hortensiani* dicũtur; non Bestiæ Caligulæ aulici, is vultum natura horrendum ac tetrum etiam ex industria efferebat, componẽs ad speculũ in omnẽ terrorem ac formidinem: Nõ turpissimi Hostii, qui ad libidinẽ exercẽdã, fecit specula imagines longe maiores reddentia: per q̃ flagitia sua diuideret & disponeret, vt omnia membra stupris occupata videret; horribilẽ & abominabilẽ turpitudinẽ, Seneca *lib.1.nat.qu.c.16.* sed Platonis consuetudine. Is.n. referente ex Flauiano, Iohanne Sarisberiense *li.8.c.12.* speculũ inspexit, vt videret in eo quantũ peregrinatio, studii feruor ac acumen, tẽporis ꝓgressus ac ætatis de naturali statu mutasset faciei indicio. Hoc egit, vt seruaret naturam, vt naturæ succurreret, ne labore & diæta insueta corrumperetur: reliqua muliebri relinquemus, si adiecerimus, mortales vt plurimum tantum faciem in speculo considerare, non reliquas corporis partes, vt præstantissimam & primum in lucem humanam editam. Ritu enim naturæ, capite hominem gigni, pedibus efferri mortuum, mos est, Plinius *lib.7.cap.8.*

135. Speculis vtẽdum nõ more Hortensii, nec Hostii impurissimi canis, nec Caligulæ.

136. Mortales vt plurimum faciem tantum in speculo considerare

Cum vero decor in orando à gestu atq; motu procedat, ne, si gestus atque vultus ab oratione dissentiant, & authoritatem & fidem verbis deesse, dicatur, exemplo Demosthenis, grande quoddam speculum inspiciendum est, vt actionem eo melius instituere possimus, Quintilianus *oratoriar. li.11.pag.657.* omnia corporis membra considerantes.

137. Oratoribus grande speculum inspiciẽdum.

Illa enim voci & orationi si non consenserint, vehemens erit & inconcinna dissonantia. Probet itaque orationem togâ, vestitu, capite, vultu, palpebris, genis, superciliis, naribus, labris, ceruice, collo, oculis, manibus, digitis, imo pedibus.

138. Harmoniam in dicendo quærendam.

139. *Virginem insanam speculum non inspicientem.*

Quemadmodum itaque sanæ mentis non compotem Virginem dicebat Catullus, speculum nunquam inspicientem: *propinqui quibus est puella curæ, amicos medicosque conuocate: Non est sana puella, nec rogate qualis sit, solet hæc imaginosum.* Imaginare dicitur Virgo speculum, quæ illud consulit & rogat qualis sit, vtrum formosa, an deformis sit. *Speculum etiam imaginosum* vocatur, quod speculo in vno plures vnius rei imagines appareant. Et Alexander Guarinus Ferrariensis *Imaginosum*, inquit, *scilicet pati, quasi dicat, est furibunda, & vt insana est, imagines ante oculos habet, sicut de Oreste traditur.* Cornelius lib. III. phrenetices species exequens, *tertium insaniæ genus est*, inquit, *cuius species duæ sunt: Nam quidam imaginibus, non mente falluntur, qualem insanientem Aiacē vel Orestem fabulæ ferunt.* Galenus quoque imaginationis vnum nocumentum putat quod dicatur stupor, aliud congelatio, aliud alienatio: porrò imaginandi potentia obdi sola poterit incolumibus aliis.

140. *Speculum imaginosum.*

Sic etiam puella cum imaginosum morbum pateretur, credebat se formosam cum deformis esset. Et post hoc carmen in textu antiquo fenestra sequitur & omnino videtur aliquid deesse ad ordinis perfectionem. Quod alii euitare volentes sic correxerunt: *nec rogare qualis sit, solet hæc imaginosum*, vt sit sensus: ista nunquam aspexit se in speculo, quia si se adeo turpem vidisset, decē millia nunquam peteret: & sic Catullum volunt imaginosum pro speculo, eo quod imagines reddat, posuisse.

Idem censet Muretus ad eundem textum, sic inquiens: *Imaginosum, id est, speculum de forma sua consulere non solet, id enim si faceret, quamuis sana non est, cognosceret tamen deformiorem esse se, quam vt tantum poscere debeat: imaginosum autem vocat speculum à reddendis intuentium imaginibus.*

Scaliger tamen dissentit *ad Catullum in Recens. pag. 33.* putans apud Catullum per *imaginosum*, morbum nescio quem

intelligi, quē greci Κοςηβαντιασμον vocāt. Ita prudens nō est orator, qui non vult contēplari speculū, vt omnia membra orationi recte accōmodet. Virgines ad speculum se comunt, & faciem & cultum & vultum disponunt, crines vel in nodū colligunt, siue in corymbos glomerant, siue in cincinnos vibrant, siue gradibus frangunt, siue eos in funiculos triplici quadruplici ordine reuinciunt, siue crobylis innectunt, siue aurea scobe aspergunt, prorsus orator idem.

Speculum aulicum cuius Dauid *Psalm. 101.* mentionem facit, hunc præbet vsum, vt ex intuitu confirmentur Principes in recipiendis, probis, iustis candidis, & fugiendis improbis, & cibum è flamma petentibus, versutis, iniustis, callidis aulicis. 141. *Speculum aulicum.*

Aulici vero si viderint imaginem alicuius boni, omni tamen acerbitatum genere agitati vexatique non dimittant vel abijciant probitatem, integritatem ac innocentiā, nec ad malas artes descendant, sed viriliter & magno animo aduersa ferant, sciantque ignem aurum, miseriam fortes viros probare: Deo in primis charos ita probandos purgandosque, vt ex carcere & vinculis corporis egressi expediti in ipso expeditionis die in cœlum auolent, ac præmijs æternis ornentur: multi improbi aulici in funem reducti diuitias corradentes in perpetuum egeant, nunquam memores imbecillitatis suæ ac vitæ æternæ, ignorantesque locupletem patrem raro filios & nepotes diuites relinquere. 142. *Aulicos vexatos agitatosq́; inspiciēdos, & exemplo illorum aduersa fortiter ferenda.*

Animaduertas tamen, probos aulicos similes esse vitro pellucido: splendent enim, sed præmium & precium aliud non habent, imo facilius vt frangitur purum coruscans vitrum: sic innocens scelerisque purus aulicus gryphos & strophas non tenens euertitur absque labore: mali enim tuti sunt calliditate. I Ii sunt qui ob res magnas & præclarè gestas inflantur & superbiunt, & alios simplicis conditionis 143. *Probos aulicos similes vitro pellucido.* 144. *Malos tutos calliditate.*

hominesin istum errorem trahunt quasi Dii & non homines sint. Probi vero deiiciuntur paupertate, bonæ mentis sorore, premũtur, improbus abundantibus, vt potestas Dei magis elucescat, qui per homines morbis obnoxios, imbecilies, carceribus & ergastulis clausos, vinculis & compedibus impeditos ea faciat, quorum præstãtiam cæteri omnes obstupescant: & ita profiteantur, quasi publice, non omnia splendida aulica, vita & morte terminari, sed superesse aliã, in qua iustis præmium tribuatur, & ab improbis & sceleratis pœna exigatur.

145. *Probos & pauperes premi.*

146. *Vita & morte non omnia splendida aulica terminari.*

Et tandem, certo statuant veri & probi aulici, si fecerint quod potuerint ingenue, iuste & tamen periculis expositi, conscientiam ab omni culpa liberam conseruare debeant, & oẽs humanæ vitæ molestias præuidere prudenter, vel vitare consulto, vel sustinere patienter, quælibet mala ad pileũ vocati ferre cogantur, animũ non abiiciendũ aut statim Deo inuisos esse; cum ẽt illis, qui Deo acceptissimi fuerunt, aut eadem aut grauiora contigisse videamus.

147. *Pios aulicos premi.*

In hoc speculo aulico aulicus videbit, quibus rebus fœlicitatẽ metiri, quosque beatos aulicos, vel contra, miseros esse, ducere debeamus. Ecce splendidissimũ speculũ, pellucidum, tersum & planũ ꝙ aliquot regulis mutuo à Casparo Peucero, nomine tñ suppresso, Polycarpus Leiser, fœlicior aulicus & gratior Peucero sumens ornauit. Decreta vtilia & salutaria, sed multis exceptionib. obnoxia: frutices tñ illorum prudẽs foue ac attolle ardua nõ noua ex iis percipies.

148. *Fœlicitas aulica.*

149. *Regulas aul. Polycarpum mutuo sumpsisse à Peucero.*

Hoc mirum est, vti Augustinus scribit *epist. 151.* quod in imaginibus videmus quas specula referunt: Nam quamuis ingentia specula sint, (nisi singulari, vt fieri põt, arte sint facta, Seneca *1. natur. quæst. cap. 16.* vbi docet specula componi & circumponi posse, vt incredibilem imaginum magnitudinem reddant) non reddere maiores imagines, q̃ sunt corpora etiam breuissima obiecta: Licet vmbra plerumque

150. *Ingentia specula non reddere maiores imagines.*

maior sit, quam is quē refert (vnde apud Varronē, *Cornuat aurum, vmbram iacit, iceparat.* Inepte vmbra definitur aer sole carens, propter aliquod corpus densum obiectum à Iohanne Baptista Costa, *de facti scientia & ignorant. Centur. 1. distinct. 1. pag. 91. num. 8.*) Milichio *in 2. Plin. pag. 88. 188.* teste. *151. Vmbra maior eo quem refert.*

In paruis autem speculis sicuti in pupillis oculorum, etsi magna facies se opponat breuissimam imaginem, pro modo speculi formari: ergo imagines corporum minuere licet, si specula minuantur, augere, si augeantur, non licet. Speculum itaque quamuis magnum, maiores melioresq; non facit aulicos, si tales, Dei gratia, non sint: si exiguum vero & paruum sit, magni prudentes & potentes aulici diminuuntur: speculnm miræ varietatis ac fortunæ aulicæ inspicientes imbecillitatem humanam, Regnorum & aularum translationes, actiones quandoque iniustas considerent probè. *152. Miram speculorum naturam esse.*

Mira itaque speculorum natura, quam tamen sic plenius non examinabimus, cum mel summis digitis tantum sit delibandum.

Verus itaque & genuinus aulicus, non ex gente Parasitorum natus, speculum ita inspiciat, vt mundum immundum, Diaboli cloacam, fallacem aulam, ficulam, Lubricā, Lunaticam, impuram, auarā, ambitiosam, famulamq; Dæmonis magno animo contemnat paruo contentus, & inter furentes æstus ac recipocrantes vndas ad cœlestē aulā cotidiè ascendat, & domum fallaciarum, machinationum, iniquitatum, infidelitatis, simulationum & dissimulationū officinam seruis mancipiisque terræ relinquat, vt à sordibus aulicis repurgatus æterna aula & habitatione & consortio electorum perpetuo fruatur, & inde acquirat non momētaneas diuitias, sed in æternum permansuras: non tenebras huius mundi, sed lucem splendidissimam. *153. Quo pacto speculum aulicum inspiciendum.*

Vt enim

154. *Speculo à mendis purgato similem esse mentem ab omni labe mundana emundanam*

Vt enim speculum à mendis & maculis purgatum soliq; obiectum, tantum ex se splendorem fundit. vt alter quodammodo sol appareat: ita mens humana ab omni terrena labe emundata ac soli iustitiæ obiecta ita diuinis fulgoribus irradiatur, vt eius imaginem referat, cuius in se fulgorem & lumen recipit.

155. *Proborum aulicorum mores.*

Fiet hoc, si aulici neque voce, neque voto, neque vultú, neque cultu, neque taciturnitate, neque oculorum coniectu, nec aspectu probauerint iniusta decreta, calida, callida consilia in aulis vt plurimum grata. Non te moueant cassa blandimenta aulica: venena tibi erunt: non respicias gratiam aulicam, gladii sunt, iugulatores tui & quidem ferreis gladiis deteriores: Quam infidelis, quam insipiens est, qui liberos malis artibus diuites facit: animam propriam vt cōdemnet: ô cœcitas: ô infœlicitas: ô insania: ô cura inanis: ô æterna paupertas,

Iactitant quidem multi in funen alios reducẽtes, quod nequeant talia probare, imò iusti, integri, sapientes volunt videri, etiamsi manifestis argumentis, iniustitiæ, fœditatis & impuritatis conuincantur: voluntati & iussionibus Principum, quibus infima auricula mollior, esse obtemperandum clamantes.

156. *Aulicos ad hypocrisin propensos.*

Verum, talium calua est excusatio, adeo ad hypocrisin propensi sunt natura omnes homines, inprimis aulici. Isti adulatores aulici similes sunt speculo: vt enim speculum faciem & colorem assumit illius, qui contemplatur vultum suũ in eo, vt, si videatur ridere, rideat, si flere, fleat: ita quoque adulatores in aula vultum alterius, & cuius patrocinio indigent, imitantur, gaudent cum gaudentibus, flent cum flentibus.

Verum, vti specula, obiecta præpostera exhibent: facit enim manum dextram sinistram & sinistram dexteram. Orientem occidentem Diego stella *Della vanita del mondo part. 2.*

part.2.cap.74. sic quoque adulator omnia inuerso modo repræsentat: vitium virtutem appellat, stultitiam prudētiam asserit, ô peruersitas. ô vmbratile Christiani nomē: ô vmbra excusatiunculę: ô profanę ꝓcacitatis: Nullus est vilior apud tales homines, quam ipse Deus. Solem illum vel potius Lunam illam aulicam venerari, colere, amare, cum insigni reuerentia, debemus. 156. *Principem colendum & amandum.*

Ratio enim personæ & officii exigit, vt aulici Consiliarij Principem reuereantur: resistere namque gratiæ adquisitæ Principum, non frangi eorum potentia ac authoritate, nō cedere rationibus illorum, videtur stultum: qui enim spuit in solem, in lunam, spuit in se.

Verum, hæc reuerentia solis, lunæ, speculi, neminē deijcere debet à gradu constantiæ, veritatis, in dicendis sentētijs, in summa, nunquam timoris & reuerētiæ causa ab officio discedere, sed salutem publicā & subditos cōtra iniuriā, vim, & oppressionē defendere debet, vel exemplo Moysis, *Exod.33. Num.12.* is reuerebatur Deum, vt ne quidem illum aspicere neq; loqui auderet, & absconderet faciē suā *Exo.3.* Nō tñ tantus timor illū ab officio reuocauit, quo minus populum quem Deus ipsi commendauerat, tueretur, & ipsimet Deo de hebræis supplicium sumere volenti, se totis viribus opponeret, *Exod.32. Psal.105.* Reuerentia itaque & metus, qui Principibus debetur, si honestus, decens, & rationi congruens, nec aduersetur muneri Consiliario commisso: quatenus enim dictus metus tam est efficax, vt neq; loqui neque id quod sentit & necessitas exigit, facere audeat, eatenus est impius detestandusque. 157. *Reuerentia quatenus erga Principē extendenda.* 158. *Aulicos Moysem imitari debere.* 159. *Reuerentia qualis debeatur Principibus.*

Boni enim etiam Principes & cordati ita sint animati, vt nullam in partem se sinant incitari retrahiq; in q̄ non candor & virtus ipsos deducat, nō ex opinionib. ac mendacijs: tum adulationibus, hominum commodis ac exactionibus sanguinolentis; sed ex Dei verbo, præceptis pru- 160. *Principum virtus.*

prudentum eruta exque ſpeculo æternæ legis diuinæ prolata præbent.

161. *Lucem ad videndum neceſſariam.* Quemadmodum enim lux tam eſt ad videndum neceſſaria, vt ſine illa oculi ad videndum ſint inepti, obtuſi & obſcuri, at vero, cum extra modum eſt lux, nō ſolum nocet oculis, verum etiam affert aliquando, ex ſententia Ariſtotelis, cæcitatem ipſam: ſic etiam metus Principum eſt multis

162. *Metus Principum.* nominibus fructuoſus, & incitat prudentes ad bene agendum.

At vero, tanta potentia timoris eſſe non debet, vt à veritate deterrere debeat bonos aulicos, etiamſi præſentiſſimū inde oriatur periculum.

Speculum itaq; virtutis inſpiciant aulici in Michæa Regi Achab contradicente *3. Regum vltimo. 2. paralip. 16. 26.* Hannani Regi Azæ, Azariæ Regi Oziæ: in Iohanne Herodi: memores ſententiæ Pauli 1. Cor. 16. *Viriliter agite & confortamini & Iohan. 14. Non turbetur cor veſtrum neq; formidet.*

In profana hiſtoria paſſim præclara occurrunt legenti exempla, quæ ſponte omittimus. Varia & multiplex lectio ac conſideratio varia imo infinita exempla ſuppeditabit, ex quibus præclara eligere & vſui applicare poteris. Reuera nihil magis religioni, honeſtati, fortitudini, animi ingenuitati, imo conſcientiæ & mentis tranquillitati aduerſatur, q̃

163. *Adulatio & timiditas.* adulatio, & in ea timiditas, quam etiam ipſi Principes infeſtis luminibus aſpiciunt deteſtanturque, & de lapide emptos apud Romanos viliſſimos ſeruos rident.

Quid lucri inde quæris? opes, honores liberorum, fortunas: Cogitas vt liberi poſt te bene & magnifice viuant, & voluptatibus ſe onerent, non quam male ipſe moriaris: ô inſania temeritas.

164. *Principum non omnium ſed multorū malitia.* Principes ac Conſiliarii multi, orationibus, admonitionibus ex hiſtoriarum veritate ſumptis, non mouentur, cū illorum animi adeo ſint ſuberbia, inſcitia, malitia

obdurati,

obdurati, vt nullis politicis & diuinis rationibus concuti possint.

Præclarum enim existimant hodie ex tempore viuentes cedere nulli, contradicere omnibus, pro libitu & ad proprium præscriptum, legibus neglectis & tutoribus rejectis agere: exemplo sumpto à fabrorum ferrariorum arte, quæ hoc nostro seculo eo progressa est, vt thoraces æreas ita tẽperent & conficiãt, vt nullis telis nec pilis sulphureis iactis & emissis cedant. Vt itaque animus armis respõdeat, heroicum esse putant. Fit etiam quandoq; in aulis, vt quidẽ nonnulli Principes admittant consilia matura, admonitiones graues veritate munitas, quib. ẽt cõtradicere nefas intelligunt: sed, consuetudine assidua dicẽdi, admonẽdi, ad veritatis tonitrua insensibiles efficiuntur ẽt in iuuẽtute optimi timidiq;: ijsq; vsu venit quod Cataractarum Nili accolis, qui impetuoso aquarum defluxu surdi euadunt. 165. *Simile.* 166. *Principes quandoq; fieri insensibiles.*

Quemadmodum enim bombyces tonitruorum sonitu ita læduntur vt interdũ moriantur: sed illi, qui nutriunt tales vermes, tympana frequenter pulsent, sonitui molliori, vt & equi ad militarem pugnam adhibẽdi assueti, à grauiori sono non corrumpuntur & grauantur: sic & illi.

Verum, inde illud tandem sequitur, quod in simili asserit Philosophus. In medicina fieri dicunt, vt corpora non pura quo magis lædas, materiam nimirũ corruptis humoribus suggerens: sic prauis opinionibus occupatum animũ quo plus docueris eò magis corrumpes, lædes, maiores subindè malè & perperam sentiendi occasiones suppeditans. Verum manebit illud psal. 62. Buchan. 168. *Simile.*

Ventosa Regum & principum potentia
Est vanitate vanior:
Adeoq; fumo leuior, vt si principum
Hac lance vires omnium,

Inanitatem hac colloces, cunctis simul,
Inanitas præponderet:

169. *Bonis aulicis indies augeri vires.*

Concludimus tandem cum Salomone Prouer. 4. *Iustorũ semita quasi lux splendens procedit & crescit vsq; ad perfectum diẽ:* Deus optimus Maximus faciat, vt boni aulici maiores indies ad bene agendum accipiant vires: *qui dat lassovirtutẽ, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat,* Esaiæ 40. *Deficient pueri & laborabũt, & iuuenes infirmitate cadent, qui aũt sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Hanc recte dicent fortitudinem illam aulicam, magnam cordis generositatem & vigorem, quem Deus tribuit in cultu veræ pietatis & non simulate progredientibus.

160. *Præsidia in sacris literis præscripta, tenenda.*

171. *Axiomata improborum, fugienda.*

Quod ab aliis requiro, præstare vix potero, quia in tot humanis erroribus innocentia frui, difficile est. Sed cum Christiani iam teneamus certum principium omniũ actionum & finem sacrosanctis literis consignatum, & illa præsidia nobis iam data sint, quæ ad vniuersæ vitæ aulicæ cursũ recte instituendum desiderari possunt: vestigiis sacris in nos descendentes inhæreamus, nec ab illis nos auelli patiamur, libellum repudii mittentes improborum hominum axiomatibus, videlicet, ad statum Reipub. conseruandum quælibet tentanda & ad actum perducenda: Diabolica enim sunt, & venerandæ antiquitati & honestati incognita, & idcirco è Republica explodenda, & exterminanda & damnanda, à quocunq; tãdem ꝑfecta fuerint Sacrilegæ voces & damnatæ eruditionis Regulæ: aulicum est & politicũ, bullatis nugis omissis, bene agere, intelligere, facere & bene viuere. Vnicam hanc anchoram nucibus relictis teneamus in tãtis humanæ miseriæ fluctib. nauigantes, q̃ neq; eripere neq; excutere nobis debẽt improbi: Ex generosa ac ignea mente pullulant honesta & proba consilia: Fucus, dolus, simulatio, fraus nec valida nec firma, nec diuturna esse põt.

Scio & experior, multorum esse non solum ferocem, sed & barbaram inscitiam cum malitiosa inuidia coniunctam, qua veras sententias sardonio risu irrident:

Verum, jamdudum obfirmauimus animum nostrum, illos veritatem infringere, sed supprimere non posse; itaq; propter morosos Censores de statione nostra non discedamus, neq; hastam, & Clypeũ abijciamus, cum inops quies vitæ exiliũ, abundare & quiescere beluinum sit. 172. *Inops quies exilium.* Polycletus egregius artifex olim non contentus librum scripsisse, in quo omnia signarat, quæ statuam humanam sculpturo obseruanda essent: Verum ne videretur aliis præscripsisse, q̃ ipse non reipsa expressisset, statuam ipse fecit, eamque publice propositam Canonem vocauit, lineamenta artis ex ea veluti lege peti iubens. Sic & ego nescio an eodem successũ.

Hic tamen propositi memor, vehementem, violentum ac pugnacem, acrem Oratorem non agam: si dabitur occasio ad pileum vocatus, claustra & fores refringere prouocatus conabor. Hoc vnũ superest, hoc difficilimo & asperrimo tempore, quo plerosque absque scopo iaculari videmus, qui Reipub. & aulæ præsidium ornamentumq; conseruare, eiusq; dignitatem tueri & decus augere, conscientiam bonam, integram & illabatam retinere studẽt: omniũ actionum speculum Decalogum sc. Omnipotentis Dei digito scriptum nunquam remoueant: sed semper & vbique 173. *Aulicos Decalogum inspicere debere* in conspectu, in manibus, in corde studio flagrantissimo habeant, & potius salem lingant, quam honestati & veritati repugnent & aniles opiniones probent.

Extra hoc speculum Decalogi & aliarum legum sanctissimarum metas, grauis & periculosus nobis aspectus, error 174. *Extra Decalogum naufragium.* in plurimis, germen flagitii, seges scelerum, herba malorũ, nefanda & improba ausa præceps vnda, in scopulos minantes metus, multorum lapsus, periculum, naufragium,

interitus. August. in *speculo praceptorum*. Fateor plura esse quæ Plato ac Socrates de speculi vtilitate tradiderunt: Verum speculũ Decalogi docet vitam non in speculo vitreo, sed lege Dei nos contemplari debere: Lex enim Dei nitidissimum speculum & labem nostram domonstrans.

175. *Speculariorũ ordo.* Speculo Monachos ex speculariorum ordine in recordationẽ Decalogi vsos opinor, gestare enim specula semp solent, quorum interior vestitus ater est, exterior candidus & pectus cruce munitum. Et quamuis nemo extiterit cuius virtutes & actiones, inprimis in tot Consiliorum humanorum erroribus, vitiorum confinio, non sint læsæ: tamen multi imbecillitatem ac errorẽ agnoscentes emendant & de pulmone reuellunt, infiniti verò lapsus p prudentiæ & sanctimoniæ thesauris exponunt & venditant, & cum aliis

176. *Ars simulãdi dissimulandique.* impietatis sociis intelligentiã esse asserunt simulandi, dissimulandi arte fallere, decipere, circumscribere, dum minus erroris malitięque opinantur esse in multis, ineptè impieq; insuper ptendentes exequutionem improborum Consiliorũ, tuto fieri p eos, qui non illorum sunt authores, posse; quasi vero in ætate, numero, iussionibus malæ fidei executoris & possessoris patrocinium & in versutia prudentia constituatur, & inde consciẽtiæ corruptæ induciæ dentur: opere certè deserunt verbo quam pollicentur fidem? quia vitam ad illam non componunt, è regia via recedentes callidi: vesana reuera temeritas, imo impietas indigna viro bono, non dicam Christiano.

177. *Vir bonus.* Vir bonus syncerus est, verax est, apertus est, Canon & mensura rerum bonarum est, detestatur quicquid sub specie geritur prudentiæ & pietatis. Qui enim cœlum assidua diuini numinis inuocatione meditatur & serio immortalia sectatur, non magnoperè curat, quod hic magnum calcat pedibus: eo enim pacto & Diaboli & mundi fallacias effugere, dolos euitare, conatus eludere, impetus

depellere ac propulsare verus aulicus etiam calumniis oppressus poterit.

Contra pernitiosa paradoxa animandus est animus,& spes meliorum assumenda est: sæpe enim titubantia, Symmacho teste, in solidum conuersa sunt, sed euictionem p̄stabit nemo, nec ego: voto quoque fauentis non exitu rei animus obligatur. 178 *Animandū animum.*

Video enim quasi in speculo hac ætate in aulis, in Repub. malitiosos veluti asylum quoddam aperuisse, & omnis licentiæ ad omnia perpetranda scelerum signum sustulisse, quo sublato signo, quanta improborum multitudo ad dictum vexillum conuolabit? maior etiam si facta sanctimonia ad mala agenda sub prætextu pietatis accesserit, O amentiam: 179. *Licentia extrema nostræ ætatis.*

Exactum aliquod, absolutum, horisque consecratum opus speculi & specimen propter argumenti sterilitatem & non protriti multisque difficultatibus obstructi aliis occupationibus immersus edere non potui: & breuior in hoc conscribendo Amyclis fui.

Expectabis itaque, Frater dilectissime ac Colende, magis politum, nitidum, purissimum, coruscum referens acceptas formas ab egregiis scriptoribus, qui, vt excellentes pictores, statuarii, artifices anxiè laborant, vt tale quid conficiant vnde posteritas coniicere queat, quid præstare, si summis viribus negotium adire voluissent, potuissent.

Qui vult & potest, plenius ex Euclide, Ptolomæo, Seneca, Plinio, Plutarcho, Cœlio Rodingino, Lucretio, Archimedis traditionibus, Monteregno, tractet hoc argumentum, nec alteri quisque inuideat, qui pro sua virili conatur de dubiis differere: Candor nobis non doctrina, non eloquentia debetur, patet enim, me subitaria & leui manu ad vsum, non decus aut specimen, præmissa scripsisse.

Et quamuis hic noster sermo ex debito, iudicium de eo tuum, optume Frater, ex beneficio proficiscatur: tamen ea me spes & specula erigit, te fratrem dilectissimum, nihil, pter animum ingenuum, nec plura in hoc argumēto fragili, exacturum, neque acerbum exactorem futurum, cum non tantum in Gallia speculum aularū ante 37. annos, in parricidæ Regis nuptiis institutis inspexeris & aulicos mores nefandos, sanguinolētos sub specie amnistiæ fallacis obseruaueris: verum etiam in præcipuis Italiæ aulis, Florentina, Ferrariensi, Mantuana, tum Austrina, Oenipontana per biennium cum Illustrissimo Principe Ottone Henrico Duce Brunsuicensi, postea tumido mari in Hispaniam nauigante, oppresso, præfectus aulæ vixeris: & postea in Curia Ducis Henrici Saxoniæ, Archiepiscopi Bremensis, Osnaburgensis & Padebornēsis Episcopi, Consiliarii & Cancellarii officium cum laude sustinueris, ac visa auditaque in statione amplissima Halberstadēsi, quam adhuc in summa ætate tenes, in succum & sanguinē deduxeris & diiudicaris adeo, vt laboribus, vigiliis, certaminibus, morbis, ærumnis quassus, attritus, fractus venenum bonum & malum aularū nôris probè, tum pharmacum & antipharmacū, & specillorum Christallinorū vsum, quo acutius speculum intueamur aularum, non vsque ad lancem atque dimensum, sed plenè & copiosè nobis communicare & quasi scelera Aulicorum ita ponere & disponere possis, vt singula membra proborum & improborum locis & iuncturis reddantur: Sed te non velle, arbitror, quem non ignoro ex aularum perlustratione & longo rerum vsu dudum vnum didicisse, mundi & aularum cōtemptum, & post vitam optume actā, in aulam æternam, migrationem placidissimam, beatissimam magno animo expectare, in qua nullus locus impiis & dissidiorum, in Ecclesia factionum, contentionum, inanitatis politicæ, dissensionis vanæ discordiæ pernicio-

sissimæ

AD LECTOREM.

De quibus vel tribus verbis monere debebam Lectorem, lapidem verberare, & calumniatores inprimis mortuos nominare nolo: quod esset luctamen instituere cum laruis: Cogites tantum Lector etiam obstinatissimi silentii hominibus læsa existimatione extorqueri posse non aliter ac muto adolescenti conspecto patris periculo, vocem muneribus oris & pectoris promptum & benignum ama, & vale ita vt in æternum valeas, & Deo benedicas, & modestiam ames, quam præ omni doctrina æstimare discas.

Vir bonus errantem dictis castiget amicis
Surda nec officii gratia talis erit.

LECTORI SALUTEM E. V. WEIHE.

POLITICA *discursim si tractaueris, & ex alto specu-
lari, quod est* μετεωρίζεθη *volueris, quamuis nec peritis
nec imperitis satisfeceris, hi enim neque recte eligunt,
neque probe diiudicant; illi ipsi pro tempore & re in a-
rena nata de iis tanquam non perpetuis disserere norunt, & inde
plùs nudis thesibus, & theorematibus tribuẽdũ esse multi exercitati
existimarint: tamẽ vt peritorũ & imperitorũ auiditati satisfiat, the
ses nõ theses exẽplo Guicciardini, Lottini, & Sansouini præmittere
aulicas volumus, hac cautione præstita, vt cædẽ exemplis ex histo-
riis petitis stipatæ & illustratæ, si negotia & vita inducias dederint
sequantur, interim iis facultatem & copiam perpendendi istas dili-
gentius, & inspiciendi accuratius relinquimus, quibus hoc facere li-
buerit, & gratum fuerit, ita tamen, ne cogitationes excitentur im-
piæ, absurdæ, & nocentes, neue corumpantur iudicia, vel area veri-
tatis relinquatur, & ne deniq; omne genus peruersitatis, & profani-
tatis inducatur. Animaduerto nonnullos in eo nupere desudasse
ad multas theses meas exempla ex authoribus adducentes: imprimis
Iohannem à Cokier: qui tamen aulici huius mentionem raro facit,
non, nullis excerptis. Author, si & hoc scire aues, sæpe in hoc libello ex
proposito* ταυτολογεῖ, *& interdum non persequitur eo ordine quo insti-
tuit, nec exacte & superstitiosè bilem & leges Logicorum obseruat:
sunt enim de industria dispersa, ac permixtim instar prati variata
theoremata. Rogat itaq; ne quis propterea opus incultum fastidiat,
quod nemo faciet qui nouit aulica rarò ordine bono tractari, & in
aula ordinem esse, ordinem nõ seruare, & magno, viros rem ipsam
spectare, non verba captare, quod est ex sententia Pauli IC. calum-
niari, & solidè doctos, arcemq; sapientiæ tenentes istam curiosam
inquisitionem detestari. Clementem Alexand.* lib. 1. stromat. *Au-
thor secutus, dicentem non scripsit audacia, temeritate, vel spe lucri
vel studio gloriæ sed tãtum salute legentium adductus: nihilominus*

tamen

PARERGON DE CAMINO INQVIRENDI CAVSA *adiectum.*

MVLTI curioſo ingenii oculo ædium veterum membra perluſtrant, affirmantes neque Græcos neque Romanos habuiſſe emiſſaria fumi, & gulas aſſurgentes, Caminum ſcilicet Lipſius *Centuriæ 3. Epiſtol. Epiſt. 75.* In qua re ſubſcribendum autumo Lipſio aſſerendumque non tantum Græcos & latinos non habuiſſe caminum, ſed neque Iudæos. Etſi enim *Exod. 9.* Hieronymus verbum *Camini* approbet, illum tamen reliqui Interpretes non ſunt ſecuti: ſed fornacis vocabulo vtuntur **Nehmet ewre Feuſt voll Ruſt auſſ m Offen**. Græca tamen verſio habet vocabulum καμιναίας. Hieronymus *cap. 36. numer. 23.*

Lutheri verſio habet, **Warffs ins Fewer das inn Camin herde wahr**: tamen veritas linguæ Hebraicæ ſenſum non admittit, neque *Camini* mentionem facit: Vt nec Sanctus Hieronymus, qui tamen Syrac. cap. 22. *Camini* verbo vtitur, linguæ proprietatem relinquens: Græca quoque verſio verbum *Camini* non habet.

ICtus Vlpian. in *l. ſi arborem de ſeruit. Vrban. præd.* loquitur de Zeta & Heliacamino, verum in longo alio ſenſu, vt pulchre oſtendit MARCELLVS DONATVS PONTANVS in *Ael. Lamprid. pag. 558.*

Mirum itaque FRISCHELINVM in IVLIO rediuiuo hoc inuentum non obſeruaſſe, introducentem purgatores Caminorum & Spaza Camino.

Dubito tamen an in vniuersum Caminorum vsus apud Romanos nullus promiscuus fuerit: Cum Virg. 3. Æneid. aperte dixerit:

Ruptis flammam expirare caminis

Et 6. Æneid.

——— *Cyclopum educta Caminis*
Mœnia conspicio.

Et Sydon.

Quod arcuatili camino sæpe ignis animatus, pulla fuligine infecit.

Iuuen. Satyr. 14.

Incude assidua semperq; ardente camino.

Fuit itaque instrumentum fumum excipiens, inde Iuuen. Satyr. 10.

Iam strident ignes iam follibus atq; caminis.

In qua sententia deprehendo esse præceptorem meum Paricol. *lib. 1. Rerum memorabilium, cap. de ædificiis.*

Quamuis etiam pro loco accipiatur in quo ignis struitur Cic. ad Attic. *Luculento camino vtendum censeo.* Plin. *li. 16. cap. 6. lib. 17. cap. 15.* quo etiam sensu extat apud Lucianum.

Vtut sit, formam iam vsitatam caminorum à Saxonibus primum in Lombardiam translatam existimo, quod vel inde coniicere licet, quod in Lombardia etiam vocabulis ad vsum rerum ante caminum conficiendarum vtantur vt *bucare*

beuchen bauchen.



FINIS.

ſiſſimæ authori, ſeminatori, ſatori relictus. Quia Deus ſemper erit in nobis, & nos ſemper erimus, ac in nobis noua mens, noua vis, noua lux, mera, vera. Nati hac inter alias conditiones viuimus in hoc turbulento theatro, vt noſtrã vbi perſonam geſſerimus nouis & quidem ambientibus & expectantibus auidè locum demus. Neque ego quando venerit illa ineuitabilis hora, itiones longas & manſiones hic in terra habeo, & libenter ac æquo animo curſu confecto lampada trado, ſiue præceſſero te; ſiue ſecutus fuero: tũ Gerhardũ illum à Weyhe, qui tempore Imperat. Heinrici V. Bremenſibus, vt ex inſcriptione in Curia Bremenſi cõſtat, priuilegia, in terra ſancta fortiter agendo, obtinuit, Auos, & Patrem Fridericũ, Confratres omnes noſtros, Fridericum Cancellarium Ducum Brunſuicenſ. Lunæburg. Cellis: Iohannem præfectum antiquiſſimæ arcis Hoyæ, Conradum, ac Ioachimum à Weihe hunc puerum, illum iuuenem, Fridericum fratris Friderici filium Comitũ Iſenbengenſium prefectum morum vita functum Filium vnicum tuum Heinricum Iulium ex quorum morte dolorem conceptum per ſeram recordationem nolo inſtaurare, ne vulnera inde contracta crudeſcant, incremẽtum enim eſt doloris, id quod doleas, ſcribere, Pars eſt meminiſſe doloris. Interim ego te & infantiæ & imprudentiæ meæ conſciũ iudicem propter illos, qui etiam Veneris ſandalium calũniari audent, & quibus alabaſtra plena vnguento ſordeſcũt, & propria imago in ſpeculo apparens diſplicet, non imprudenter elegi. Frangit enim iudicis ſeueritatem non proxeneta, non pararius, ſed affectio fraterna admirabili virtuti & doctrinæ coniuncta. Fratrum enim dicta & facta ea interpretamur indulgentia, qua plerunque etiam noſtra diligimus.

Scribendi dicendique elegantiam, qua te in græca & latina lingua natura ac vſus dotauit, non adhibui: Cõdimẽta

oris, pectoris, & scripti nostri sunt Veritas, fides, Candor & religio, qua nulli cedo. Deus Optimus maximus te septuagenarum fere incolumem custodiat, tegat ac regat, & nos ad peregrinationes natos à terrenis & impuro hoc cœno, ex caducarum rerum sordibus & perniciosa contagione errorum euocatos ad cœleste regnum ad Patriam cœlestẽ quandoque transferat, & inprimis procul mœrorem tristitiamque omnem tenebras menti offundentem arceat, tranquillitatem & altissimam animi quietem ac statum pacis præamabilem posteritati concedat, vt pacis æternæ author ab omnibus glorificetur, & religio, integritas & veritas floreat.

SALVE

æternum æternumque

VALE.

PARER-

AD LECTOREM.

tamen non potuit Sycophantarum morsus, aduersus quorum venenum, præsertim in suggestu tãquam loco priuilegiato, & omnia quæ in buccam veniunt, libere dicendi, nullum potest ἀντίδοτον *excogitari, effugere. Vos principes soli ab malitiosæ inuidiæ, & calumniæ nubibus ad æternitatis sudum nos deducere potestis. Quod si nasutissimi theatri possessores putarint, quod parum exploratis viribus argumentum ex proposito ad aulam constrictum tractandum susceperim cur non humaniter authorem minimè durum admonuerunt: qui expositurus imo immutaturus fuisset: Apud æquiores Iudices Clericos & Laicos magna cum fiducia sub clypeo veritatis causam defendet? Fidei enim & veritati litauit, non adulationi, tibi Lector omnia iudicii quadam lance examinanda imo libranda relinquens, Sublimia & magnifica licet non sint: tamen emptor fricti ciceris aut nucis non probabit.*

* * *

